2

DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS E SOCIET. IESV.

EPISTOLARVM LIBRI TRES.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.
Et GABRIELEM CRAMOISY.

M. DC. LII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS E SOCIET. IESV EPISTOLARVM LIBER I.

NVNCVPATORIÆ.

EPISTOLA PRIMA.

LVDOVICO XIII. Regi Christianiss.

Nuncupatoria Themistij.

FIDISSIMOS regum monitores ac consiliarios esse libros, Ptolemæo regi dixisse Phalereum illum Demetrium narrant (LVDOVICE REX CHRISTIANISSIME.) Quòd quæ vel offensionis metu reticere, vel

per adulationem ſupprimere viui ac ſpirantes nonnunquam ſolent; ea muti illi atque mortui impunè ac fidenter commoneant. Sed nequaquam ille mihi ſatis quæ in rem eſſent explicaſſe videtur; cùm de librorum genere toto, nullo eorum delectu ac diſcrimine, regibus præſcripſit. Ac multo ſanè prudentiùs alter hic eadem ex ſchola philoſophus, quem ſub Auguſtiſſimæ M. T. nomine publicare ſum auſus. Qui apud Valentinianum Imperatorem, ætate atque indole tui ſimillimum diſputans, præclarè ita conſtituit: *Non eoſdem priuatis hominibus, & principibus ſermones, ac libros accommodatos, atque idoneos eſſe. Sed nimirum, vt amictus, ædes, equi, currus, ac miniſtri, ceteráque quæ ad cultum pertinent corporis, ornatiora illis, quàm ſibi ſubiectis, & ſplendidiora ſunt, ita diſciplinas ac libros non communes iiſdem, ac vulgares attribui, ſed proprios atque præcipuos oportere.* Cuiuſmodi eos eſſe definit, *qui teneris principum mentibus alti atque exaggerati animi magnitudinem quandam & grauitatem inſtillant: Quíque reges illos priùs, ac moderatores eſſe ſui, quàm aliorum rectores ac gubernatores, doceant: Ac denique qui diuiniſſimi præſtantiſſimíque cùm ſint, diuinam in eos & conditionem, & appellationem transfundant.* Quòd ſi vllius vnquam lucubratio ſcriptoris in hoc regiorum, vt ita dicam, librorum grege cenſenda meritò fuit; non vereor vt Themiſtianæ Orationes ſuum in eo locum ac dignitatem tueantur. Sunt enim hæ & ab homine ſapiente, ac philoſopho ſcriptæ,

ptæ, & eo genere ſapientiæ prædito, quod non otioſum, & incluſum domo, ac ſcholis hæſit: ſed cùm publicam ad rerum adminiſtrationem, tum Principum maximè inſtitutionem effloruit. Quo quidem vtriuſque paris propè ac conſentientis induſtriæ nomine, Romanis Imperatoribus, quorum ætate vixit, in paucis acceptus fuiſſe, & apud eos plurimum auctoritate ac potentia valuiſſe dicitur: viciſſim verò, quã apud eoſdem collegerat gratiam, multis ac præcipuis in eos ac remp. officiis compenſaſſe. Quo enim in loco habitum illum neceſſe eſt fuiſſe, qui præfectura ab iis ampliſſimæ vrbis ornatus, atque ad ſenatorium ordinem aggregatus, ad eorum intimam amicitiam, & familiaritatem peruenerit? Quàm verò egregiè de vtriſque, imperatoribus dico, ac rep. eſt meritus. cùm ſiue illos optimis ac ſaluberrimis documentis inſtrueret; ſiue graſſantem in huius viſcera quorumdam ex impietate ac ſæuitia peſtem oratione comprimeret! Sed nihil in eo, mea ſententia, ſic enituit, quemadmodum regiis in liberis erudiendis dexteritas, ac ſolertia. Cuius in duorum inſtitutione, Valentiniani ſcilicet, atque Arcadij, non obſcura ſigna ac veſtigia defixit. Atque horum in altero ſuſcipiendo, ampliſſimum virtutis ſuæ ac ſapientiæ fructum cepit, cùm iudicio ſummi poſt hominum memoriam imperatoris; tum præterea præconio eiuſdem celeberrimo, & maximo. Nam cùm à Theodoſio eſſet, qui tum in Occidentem reipub. cauſa proficiſce-

batur, in concione productus; huic ille quem tum habebat vnicum imperij successorem, ac generis, Arcadium, coram S. P. Q. commisit. Quem noster adeò honorificè in fidem suam ac disciplinam receptum, eximiis, & tantæ Maiestatis amplitudine dignissimis præceptis atque institutis formauit. Quæ sunt ab eodem magna ex parte hisce in orationibus consignata ac relicta. Vt ad reliquos quos habes monitores ac consiliorum participes tuorum, percommodè veterem illum, & peregrinum possis adiungere. De quo cùm cetera intelliges egregiè, atque admirabiliter dicta; tum illud profectò diuinitus sacris ex oraculis deductum. *Cor Regis in manu esse præpotentis Dei: proindéque quid agat, ac quemadmodum se gerat etiam atque etiam videndum. Nec enim decere, vt prauum quippiam, aut impurum, aut crudelitatis atque inhumanitatis vitio suffusum ei inuratur cordi, quod sanctissima illæ benignissimæque manus circunferant.* Præterea; *Viuam & animatam legem esse Principem, delibatámque ex cælesti mente, ac citimam terris prouidentiam, quam ad alterius imitationem fingi accommodaríque necesse sit.* Iam ista præclarè. *Nullum esse clementia, ac subditorum sibi caritate præsidium Regi certius, ac constantius. Optimum illum principem habendum, quem non timeant, sed cui pertimescant sui. Amorem porrò in eos regum & beneuolentiam, pietate in propinquos, ac præsertim fratres, posteriorem esse, atque ab eodem deriuatum, & profectum.* Mitto cetera eiusdem argumenti sanè

copiosa, quæ tu hisce in orationibus reperies; digna prorsus regalibus institutis, nec mediocri olim tibi florentissimi ad Imperij administrationem adiumento futura. Hæc mihi (CHRISTIAN. PRINCEPS) non admonendi tui, aut ostentandi muneris nostri causa præmonstranda ac præcinenda necessariò fuerunt; ne quis aliter meum istud consilium interpretetur quàm velim: méque non doni ipsius opportunitate commotum, sed leuitate & arrogantia impulsum existimet, meæ vt in hoc edendo scriptore operæ ex nominis tui splendore celebritatem quærerent. Equidem minimè dubito, quin, si propiùs aliquis nostrûm hoc ad munus oculos ac mentem adiecerit, non modò consilij mei rationem vehementer probet, sed illud vnà statuat; subtrahi hoc M. T. qualecunque demum est, sine aliquo flagitio non posse. Etenim si ij qui thesaurum aliquem, regiarum maximè opum, alicubi defossum repererint, offerre statim Principi, & ad eius fiscum atque ærarium referre iubentur: ego qui hunc disciplinæ regiæ, & sapientiæ thesaurum, sepultum Græciæ monimentis ac latebris in lucem protulerim, non nefarij cuiusdam peculatus arguar; si eundem alteri potiùs repræsentem, atque adiudicem, quàm tibi? Quanquam, etsi nullo alio tibi nomine obstrictus esset ac debitus Themistius; satis tamen ad sui commendationem iis in dotibus haberet præsidij; quibus præstantissimos Impp. conciliare olim sibi atque allicere potuisset. Secundùm quos, vt probare

ſe tibi poſſit, & in iuuandi informandíque tui aliqua parte numerari; magis erit, quòd oblatum longo interuallo tam inſignem ac regium alumnum ſibi gaudeat, quàm eo te nomine deuinctum, atque obligatum velit, quòd eius nullo tibi beneficio vtendum decreueris. Quamobrem habebis hoc à nobis (CHRISTIANISSIME REX) conſecratum, atque oblatum verè regium munus; hoc eſt, regum inſtitutorem, ac præceptorem philoſophum; & eundem, vt antè dixi, vtiliſſimis regi documentis ac monitis refertum. Adde etiam ex iiſce tuis, hoc eſt, inſtauratis à te nuper Societatis IESV ſcholis in lucem tui nominis excitatum. Hanc verò ille poſtremo loci prærogatiuam ad id auxilio fore ſperat ſibi, vt id, quod vnà peregrinus homo cupit, Latino cultu donatus Regni tui ius cum tuo fauore & gratia conſequatur. Deus te huic imperio diu florentem atque incolumem conſeruet. Lutetiæ Pariſiorum XI. Kal. Septemb. CIↃ. IↃC. XVIII.



EPISTOLA II.

HENRICO BORBONIO Metenſi Epiſcopo.

Nuncupatoria Orationum latinarum.

VT qui prætereunti viam intento digito demonſtret, béne is quidem, & humaniter faciat: (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) ſin deducat ac præeat ipſe, longè vtiliùs officioſiúſque ſe gerat: ſic eloquentiam qui vſu artis ipſo, exemplóque diſcipulis informant, multo fructuoſiùs operam ſuam iis collocant, qui ſolis illam præceptis, ac dicendi ratione præſcribunt. Eſt illud verò inſtitutionis genus cùm poſteriore iſto laborioſius per ſeſe; tum docenti ipſi periculoſius. In quo & actorem ex diſceptatore fieri neceſſe eſt: & omnium hominum iudiciis, nonnullorum etiam inuidiæ, famam ſuam, exiſtimationémque ſubiicere. Sed cùm ſingulari ſcholarum noſtrarum felicitate in earum ſis curam diſciplinámque traditus, & ad hanc eloquentiæ quam profitemur inſtitutionem gradatim perueneris; nihil, qua quidem in re ſtudiis tuis commodare poſſem, vel laboris defugiendum putaui, vel inuidiæ ac periculi deprecandum. Feci igitur non admodùm inuitus, tibi vt eius artis ſpecimen aliquod

offerrem, cui te cumprimis hoc tempore deditum esse, non tam optabamus omnes, quàm summâ nostrâ cum voluptate ac gratulatione quotidie videmus. Simul vt, quoad in me situm esset, cuidam tuæ postulationi ac voluntati satisfacerem. Quæsisti enim de me sæpiùs quod latinè dicendi scribendíque genus probarem maximè: propterea quòd tanta esset inter eruditos homines sermonis ac styli varietas; neque deessent, quos Ciceroniana illa simplicitas offenderet: in quâ minùs aliquanto lacertorum ac virium inesse; reconditioris verò doctrinæ locum omninò nullum esse crederent. Ego verò cùm vnum nihilominus intuendum Tullium, vnum imitandum dicerem: id mihi optimum videri, quod illius ad exemplar quamsimillimè esset effictum: negarem fastidiosos illos ac delicatos tanti faciendos esse, qui non iudicio repudiassent hunc elegantiæ nitorem, sed desperatione formidassent: vehementer hoc tibi penitùsque persuasi: deinceps vt in illius lectionem & imitationem acriùs incubueris, nec è sinu tuo vnquam ac complexu deposueris. Quamobrem vt iudicij opinionísque meæ non testem solummodo vocem; sed firmiorem aliquem obsidem teneres, has ipsas orationes in tuo nomine apparêre volui: in quibus quid ego dicendo consequi studerem, quídve ceteris proponēdum arbitrarer, tibi imprimis, (Illvstrissime Princeps) secundùm te autem ceteris, qui à me tecum instituuntur, velut perpetuo monimento testa-

tum relinquerem. Iam si idipsum, quod esse optimum perfectissimúmque iudico, assecutum me esse profitear, nimium arrogans sim, & ineptus. Ciceronianum quidem me esse, hoc est eam, quam isti contemnunt, sermonis facilitatem ac candorem imitari, voluisse præ me fero. Equidem non paruo tibi, ac reliquis, quos dixi, vsui hæc nostra confido fore: quæ tametsi longè absint à summo; quòd ad eius vtcunque similitudinem sunt expressa, in iis paululum licet hærentem ad grandiora illa, & magnifica consurgere. Nam vt teneras vites agricolæ, antequam proceris arboribus applicent, humilioribus adminiculis ad ascensum consuefacere solent: sic ad Tullianæ facundiæ maiestatem aspirantibus vtile est interim in inferioribus, nec dissimili tamen genere, consistere. *Vix enim* (ait Quintilianus) *prima se elementa ad spem tollere effingendæ, quam summam putant, eloquentiæ audebunt: proxima amplectentur magis. Vtile igitur est habere, quos imitari primùm, mox vincere velis. Ita paulatim & superiorum spes erit.* Ad summam non hæc tibi, tanquam absoluta, perfectáque, sed vt horum meditandorum ac comparandorum adiumenta proponimus. Vt hoc porrò meum in te studium, ac munusculum gratissimum tibi sit, adeò non vereor: vt vel eo tibi nomine dicandum putauerim, quo abs te probatum ac receptum, ad scholarum nostrarum fructum, publicámque commendationem longiùs sese auctoritate tua diffunderet.

EPISTOLA III.

HENRICO BORBONIO Episcopo Metensi.

Nuncupatoria Soteriorum ad Sanctam Genouefam.

GRATVS erga cælites animus, ingratus in homines ac beneficiorum immemor esse non potest (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) Siue ab eodem ambo hæc affectu proficiscuntur: siue posterius priori illi proximum ac ferè consequens est, & eo fortasse notabilius, quòd eius, quem in oculis habeas, quàm quem mente sola contempleris, oblitum videri, multo est ad animi labem ac fœditatem insignius. Itaque cùm cælesti vrbis patronæ debitum singularibus eius in me beneficiis munus ac monimentum pararem, in eodem voluntatis in me tuæ, meritorúmque testimonium ac memoriam extare volui. Quorum vel hoc ipso mihi visa est aptior opportuniórque coniunctio, quòd & regij splendore generis, & ingenij ac morum indole, & dignitatis, quam desponsam iam ac destinatam habes, amplitudine proximè cælites ipsos attingis. Quò minus de hoc tibi probando, conciliandóque munusculo, quod in eo genere fieri vulgò solet, laborare

debeo. In quo primum illud eſt longè honorificentiſſimum ac maximum; quod cuius in tutela cùm vrbs ipſa, tum vrbis præſertim academia conquieſcit; cuius ſplendorem ac decus domicilij contuberniíque tui acceſſione cumulaſti: huius tibi ornandæ prædicandæque patrocinium à me modò defertur. Tum alterum illud, quod tuâ potiſſimum intereſt: (quanquam non tuâ magis quàm Francici totius nominis cauſsâ optandum iſtud eſt) vt ei Diuæ, quæ morborum omnium propulſatrix, ac ſalutis & vitæ conciliatrix eſt, hoc veluti patrocinij collegio commendatum quamdiutiſſimè animo te pariter ac corpore florentem & incolumem habeamus. Vale. Lutet. Pariſ. CIↃ.IↃC. XIX.

EPISTOLA IV.

ANTONIO BORBONIO Comiti Moretæo.

Nuncupatoria operum poëticorum.

VTRVM maiori tu cum fratre ſcholis noſtris ornamento ſis, an eæ viciſſim vtrique aliquando futuræ ſint, dubitari (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) meritò poteſt. Nam & amplum illis ac perhonorificum eſt, ad regiæ ſtirpis inſtitutionem cùm Chriſtianiſſimi

Regis iudicio esse delectas, tum à vobis ipsis vltrò ac libenter ascitas: & pro vtriusque indole facilè coniici potest, quantum disciplinâ suâ decoris sint vobis ac splendoris allaturæ. Nam quod paucorum opinione, vsu verò propemodum inueterauit omnium; nihil admodum principibus nostris artes istas afferre dignitatis: tam per sese est falsum & ineptum, quàm à teipso, vt de fratre tuo modò taceam, præclarè ac constanter refellitur. Qui quo ex tempore hûc ad nos deductus es, adeò omni cura ac cogitatione ad eas incubuisti: vt cùm & generis splendore, & ingenio solertiáque æquales anteeas omnes, tum studio, & amore discendi, nauitate, industriâ, diligentiáque superaris. In quo per illud mihi iucundum, & ad indolis tuæ coniecturam egregium videtur, quòd ita omnes scholastici officij partes comprehendisti, vt ad poëticam vehemens te mentis impetus, atque ardor impelleret. Quod ipsum excellentis in adolescentulis ingenij specimen habet: & sine afflatu quodam, diuináque vi mentibus insitâ fieri, Platone teste, non potest. Mihi verò ad id, quod iampridem destinaueram, sanè oppórtunum accidit: vt posteaquam illustrissimo principi, fratri tuo, Metensium Episcopo, orationes, quod eius scholæ ordinisque proprium genus est, obtulissem: tibi eam partem reseruarem, quæ & tirocinio magis tuo, & inflammato illi poëtices studio, ac voluntati congrueret. Sed vtriusque lucubrationis partes variis à me tem-

poribus elaboratas, ac diſſipatas, poëticæ verò etiam ſparſim in lucem editas, vnum in corpus, ſic tanquam ciuitatem ac coloniam, redegi. Quare vti veteres ſuos quibuſque coloniis, quorum in tutela eſſent, genios attribuiſſe legimus: ſic ego te poëtici huius operis præſidem ac patronum adoptaui. Immo verò quemadmodum in mari periclitantibus fraternum illud ac geminum ſalutare ſidus eſſe dicitur: ſimiliter in hac inuidiæ ac maleuolentiæ tempeſtate, ad quam hodierna ætas incubuit, ad vtrumque mihi, te cum fratre ſcilicet, confugiendum eſſe duxi. Quorum ſicut luce ac ſplendore colluſtrari ſcholas noſtras initiò dixi: ſic benigno quodam afflatu meipſum modò contra procellas omnes & iniurias tutum fore magnoperè confido. Vale. Lutet. Pariſ. CIↃ. IↃC. XVIII.

EPISTOLA V.

FRANCISCO BRVLARTO Vallis Regiæ Abbati.

Nuncupatoria Panegyrici Henrici Magni.

ANNVS iam ab infeliciſſimo illo die agitur (VIR ILLVSTRISSIME) quo cum Chriſtianiſſimi, atque inuictiſſimi princi-

pis obitu pæne totius regni miserrimum funus, ac fatale coniunctum est. Ex quo quantum priuatim ad Societatem nostram mœroris, ac calamitatis peruenerit, neque tu ignoras, & quæ in nos hactenus inde coorta iactatio est apertè id, palámque declarat. Quam vbi primùm lætior paulò rerum facies, ac serenitas excepit, fecit ea res vt acriùs aliquanto me ab malorum nostrorum sensu ad egregij Principis, atque optimi sanè parentis memoriam referrem. Ac vt eam aliqua animi mei significatione prosequerer, quod sub ipsum illius exitum præstare earum me molestiarum importunitas prohibuerat, per delectos è grege nostro adolescentulos nuperrimè sum aggressus. Neque verò lacrymis iam nostris, ac luctu parentare ei visum est: siue hoc taciti ad id temporis abundè fecimus, siue istud ipsum in præstantissimis viris, ac perpetuò famæ celebritate victuris superfluum est: in quos illud vtique de Lyrico conuenit;

Absint inani funere næniæ,
Luctúsque turpes, & querimoniæ
Compesce clamorem.

Argumentum igitur de illius laude potiùs, ac prædicatione sumpsimus. Quod tibi, cuiusquemodi est, iustissimis, ac necessariis de causis nuncupauimus. Vt enim de splendore familiæ, cererísque domesticis ornamentis taceam, quibus inducti vulgò allicere sibi illustrium virorum patrocinia solent; tuus id certè egregius in nostros amor, ac singularis exigit,

quos paterna quadam beneuolentia complecti, atque omnibus officiis fouere nō desinis. Adde hunc eius esse collegij fœtum, cui pridem abs te constitutum in hac vrbe, atque attributum domicilium est, cuiúsque propemodum auctor, ac conditor fuisti. Quo tibi nomine cùm debitus ille præ ceteris, atque obstrictus ingenij fructus est, tum verò gratiorem, atque acceptiorem fore confidimus. Nam & quas quisque seuerit arbusculas, earum quamlibet exiguo prouentu oblectari plurimùm solet: & hoc ipsum, quod tibi indidem repræsentamus, eiusmodi est, vt reipsa mediocre; spe, atque expectatione magnum; animo sit, ac voluntate præcipuum. Vale. Remis Cal. Nouemb. an. CIↃ. IↃC. XI.

EPISTOLA VI.

NICOLAO VERDVNO Senatus Parisiensis Principi.

Nuncupatoria Orationum Iuliani.

MOLESTVM me interpellatorem dixerit aliquis (PRÆSES AMPLISSIME) qui tibi prolatis iam rebus, ac forensibus negotiis intermissis, otioso esse ne in communi quidem otio permittam. Verùm qui & de dignitatis illius, quam sustines, amplitudine, &

occupationum tuarum, quæ aliis temporibus summæ esse solent, magnitudine cogitarit: magis erit quòd pudorem à me in asciscendo patrono, quàm in adeundo opportunitatem, ac prudentiam requirat. Quorum illud vt abs te iudicatum iri existimem, neque egregia tua humanitas patitur, qua te infirmis etiam admittendis, audiendísque facilem præbes: & ingenij ac doctrinæ vis excellens prohibet; quæ ne ab eo quidem abhorret genere litterarum, à quo est illud, quod modò tibi consecramus, profectum. Quas profectò artes adhibere potissimum in cessatione & otio soletis: vt in quibus rebus meditandis domicilium quoddam assidui laboris constituimus, eas nonnisi in ludo, & animi oblectatione numeretis. Erunt fortasse qui illud non improbent, quod tuo patrocinio ad lucubrationum nostrarum auctoritatem vti decreuerim; sed hoc tamen existiment, quemuis potiùs, quàm hunc Christianorum hostem, nomini tuo inscribendum fuisse. Contra quos plura hoc loco dicerem, si in ea te esse sententia putarem; quorum crimine aliquo notata, & flagitiosa vita fuerit, eorum cum improbitate mentionem pariter ac memoriam proscribi oportere. Quod quia neque cum tuo hominis sapientissimi iudicio, neque cum rei veritate, aut quotidiano vsu consentaneum est, & multa leguntur à contaminatis & impuris hominibus haud impurè scripta: dabis hanc mihi facilè veniam, vt innocentissimorum scriptorum integritas fauore

tuo & gratia ab auctoris inuidia subleuetur. Tametsi eiusmodi illa sunt, quæ modò tibi damus Iuliani monimenta, vt nihil ad famam suam præstandam cuiusquam excusationem desiderent. Nam cùm eo tempore scripta ab eodem esse constet, quo sanus adhuc atque incorruptus esset: nihil iis ex consecuta morum peruersitate contagionis, ac labis afflatum est. Atque hoc nimirum habent præ ceteris editis hactenus illius operibus singulare ac præcipuum. Quæ quanquam implacabili Christiani nominis odio, & atrocissimis in Galilæos, vt ille vocat, conuitiis referta sint; tamen & studiosè à clarissimis viris quæsita, atque in lucem emissa sunt; & eadem quotidie non modò sine offensione vlla, sed etiam cum maxima approbatione ac voluptate tractantur. Quamobrem hoc tibi gratiora aliisque hæc nostra, ac iucundiora putaui fore: quod neque iisdem illa impietatis ac sceleris notis inusta sunt, neque eo carent, cuius hæc gratia asciscuntur, doctrinæ elegantiæque fructu. Quod verò sepulta hactenus tenebris, nunc primùm in tui luce nominis apparere incipiunt, eò maiorem ex nouitatis illecebra cupiditatem sui allatura confido. Etenim si vetusti lapides, numi, marmora, aliáque eiusmodi monimenta non tam vtilitate placent, quæ plerumque nulla in iis est, quàm ipso genere vetustatis: ob ídque & eruuntur sedulò, & obscuris sæpè ambiguísque rebus auctoritas ex iis arcessitur: nemo erit tam à ratione relictus, opinor, qui non mutis illis

atque inanimis rebus, veterum lucubrationes ac ſcripta, hóc eſt pæne ipſius antiquitatis vocem anteponendam iudicet. Quibus cùm multa ad ſermonis proprietatem, & ornatum, tum ad ſcientiam, atque hiſtoricam lucem, & ſcitu digna, & neceſſaria continentur. Hoc quidem in noſtro pleraſque res geſtas commemoratas reperies multò quàm in iis illuſtriùs, qui eaſdem commentariis ſuis atque hiſtoriis mandarunt. Eiuſmodi ſunt Magnentiana illa tempora, & receptum à nefariis tyrannis ac recreatum imperium. Itémque longè celeberrima illa Niſibenæ ciuitatis obſidio: ac cetera à Conſtantio ſuſcepta adminiſtratáque bella, quæ partim ſcriptorum paucitate, partim feſtinatione paulo erant negligentiùs atque obſcuriùs prodita: partim denique quod qui illa eadem Panegyricis hiſce à Iuliano præcepta, ac diligenter explicata legerent: ab iiſdem iterandis ſuo iudicio ſunt ac voluntate deterriti. Etenim Zoſimus libro hiſtoriarum tertio, cùm ad Perſicum bellum, ac Niſibis oppugnationem veniſſet, ſuperuacuum videri ſibi ait rei geſtæ narrationem, ordinémque pertexere, cùm iam Cæſar ipſe peculiaribus hoc ſcriptis anteà præſtitiſſet. Quorum illud ſtatim elogium adiecit: Ea verò ſi quis in manus ſumpſerit, maximam in dicendo vim hominis ac facultatem intelliget. Quæ omnia ad primam poſtremámque iſtarum orationum, ſed hanc potiſſimum, mea quidem ſententia pertinent. In qua de barbarorum irrito ad eam vrbem

conatu

cónatu pari fide elegantiáque disseruit.

Habes igitur (PRÆSES AMPLISS.) consilij in hoc edendo, dicandóque tibi scriptore, mei rationem ac summam. Quod vt approbare eíque suffragari velis, cùm à te tua, vt initio dixi, singularis humanitas, amórque erga has litteras impetrabit, tum in societatem nostram propensus animus ad hoc agendum hortabitur. Mea enim causâ, vt priuatim aliquid elaborem, neque ea fert, quæ in me est obscuritas omnium rerum ac tenuitas: & qualiscunque sum, officio tibi malo, ac reipsâ esse, quàm vllius prædicatione, præsertim propria commendatus. Sed cùm illud animo cogito: eiusmodi quiddam, nuper à me Christianissimo Principi munus oblatum, mirificè ei gratum, ac iucundum accidisse, non possum non eundem à te mihi fructum laboris mei operæque polliceri. Et quoniam hæ sunt & à Principe scriptæ, & ad Principem habitæ olim orationes, neminem ad earum patrocinium magis idoneum commodiorémque esse duxi viro illo qui quemadmodum aut apud reges dicendum, aut regibus loquendum esset præclarè cognosceret. Qui cùm summi ordinis sit, publicíque consilij princeps, ita in iure dicendo, æquitatéque moderanda regiam & personam, & auctoritatem sustinet, vt eius vox quædam sit regiæ mentis ac voluntatis interpres, & purpureæ vestis fulgor ipse Maiestatis illius amplitudinem demonstret. Quibus regiæ potestatis insignibus vt regiam æquè, cùm in admittendo

hoc meo munere, tum in fouendis nostris subleuandísque, benignitatem adiicere pergas, magno abs te opere contendo. Vale. Fixæ Andegauorum. VII. Calend. Nouemb. A. D. CIƆ. IƆC. XIII.

EPISTOLA VII.

IOANNI NICOLAIO regiarum rationum in Parisiensi Curia primario Præsidi.

Nuncupatoria Tragœdiæ Carthaginiensium, cuius ille Agonotheta fuerat.

QVI leuioris in lucem argumenti scripta, & monimenta proferant (PRÆSES ILLVSTRISSIME) ea se vel grauiori cuiuspiam auctoritate ductos, vel quotidianis amicorum precibus coactos; omnino verò inuitos, & reclamantes edere, ac vulgare profiteri solent. Quod eo consilio fieri à plerisque interpretor, vt ingenij, industriæque fructum, quamminimo cum periculo famæ suæ, atque existimationis percipiant. Ego verò quantumuis Drama hoc nostrum, ex quo tempore publicè regiis hisce in scholis auditum est, postulatum à me sæpe, & flagitatum meminerim, nullam hoc tamen ad excusationem audaciæ meæ, ac

deprecationem valere patiar: neque me illud negabo, tibi vt potissimum offerrem, studio, ac voluntate fecisse. Quod ego non arrogantiâ vlla, ac leuitate, aut verò fiduciâ operis impulsus, palam ingenuéque fateor. Sed hoc totum ideo susceptum à me esse confirmo; tibi vt homini de nobis optimè merito, cùm veterum in nos officiorum, tum recentis illius munificentiæ, cui Tragœdia hæc potissimum seruiit, grata aliqua comprobatio vicissim extaret. Est enim illa ipsa superiore anno in ea celebritate proposita, quæ præmiorum in adolescentes nostros diuidendorum gratia tuis auspiciis indicta est. Neque verò perpetuam hanc esse scholarum nostratum rationem, ac consuetudinem ignoras; vt quotannis constitutis cuiusque generis scriptionum præmiis discipulorum nostrorum alacritas excitetur. Id quod ad inflammandos mercedis & gloriæ spe eorundem animos mirificè pertinere putandum est. Eiusmodi igitur cum in illis fuit, cùm in theatrum commissis Carthaginiensibus nostris, Munerario te ac Brabeuta præmiorum est legitima illa diuisio consecuta. Cuius in eos tàm prolixæ liberalitatis, ac beneficij, quo minùs priuatim à singulis haberi gratiæ possunt, communem in hunc locum vocem omnium, & gratulationem contulimus. Est hæc publica salutandi tui, atque huius offerendi munusculi causa (PRÆSES AMPLISSIME) Mea verò priuata atque præcipua est, quòd & singulare quoddã in me studium ac beneuolentiam præ te

aliquot abhinc annis tuleris, & quæ à me tibi ingenij monimenta oblata identidem erant iudicio tuo comprobaris; meásque, vt ille dixit, aliquid esse nugas putaueris. Quamobrem non possum equidem auctoritate ac patrocinio non libenter vti, primùm amplissimi hominis & præstantissimi: deinde in alumnos nostros liberalis ac magnifici: tum in ordinem nostrum societatémque propensissimi: postremò cuius tam insignem anteà prærogatiuam iudicij ac voluntatis habuerim. Quam quidem in præsentia spe nostra atque expectatione vel cumulatiorem futuram, facilè suauissima illa tua, ac fuci omnis expers humanitas persuadet. Vale. Fixæ Andegauorum Cal. Dec. CIↃ.IↃC.XIII.

EPISTOLA VIII.

GVLIELMO VAIRIO Franciæ Procancellario.

Nuncupatoria Breuiarij historici Sancti Nicephori.

QVo primùm tempore Magistratus amplissimi dignitatem adeptus es, (VIR ILLVSTRISSIME) communis hic omnium sensus fuit, nón minùs litterarum incolumitati, quàm imperij saluti esse prospectum. Etenim quod de ciuitatibus à Platone dictum est, multo

id magis ad artium ſtudia diſciplináſque pertinet: tum eas demum felices futuras, cùm aut ſapientes præeſſent, aut ſapientum illi ipſi qui præeſſent auctoritate regerentur. Eâ porrò te ſapientiâ hominem eſſe, qualem conſtituendis ciuitatibus adhibendam Plato cenſuit, iamdudum publica quædam populi vox, ac conſtans totius regni fama celebrauit. Quod ipſum adeò leue non eſt, vt in eo diuinitatis aliquid ineſſe vetere ſit prouerbio contritum. Idem verò multo certiùs cùm anteacta vita omnis, tum (vt nondum ab alieno ſuffragio diſcedatur) grauiſſima de te Principum iudicia comprobarunt. Quorum alter ampliſſimi te Conſilij principem fecit: alter ab vnius prouinciæ cura totius ad regni moderationem conuertit. Sed hic poſtremò quantum ſapientiæ tuæ cum Regina Matre tribueret oſtendit; cùm ambo te vltimis è Galliæ finibus exciuerunt, quem formidoloſis temporibus in quadam velut imperij ſpecula collocarent. Siquidem pacato mari, tranquillóque cælo facilè cuiuis gubernatori creditur, vel mediocriter perito: in periculo nemo eſt qui non eum, ſi poteſt, adſciſcat, quem ſcientiſſimum, prudentiſſimúmque cognorit.

In quo vnum eſt minimè prætereundum, quod ad hoc negotium multum intereſſe ſentio. Nam plerique, qui prodeſſe ſapientia ſua publicè ſtudent, operoſam illam duntaxat, ac rebus gerendis exercitatam adhibent; eam verò, quæ in libris doctriníſque cernitur, tanquam


ciuitatibus inutilem, feriatis hominibus relinquunt. Tu verò sic vtramque admirabiliter complexus es; vt cùm nemo tractandarum rerum maiore peritia sit, tum vsu litterarum, ac philosophiæ studio his temporibus antecellas.

Hanc enim primus inter Gallos, vt ille quondam in Græcia Socrates, languentem in scholis ab otiosa contemplatione, morum ad vtilitatem vsúmque transtulisti. Tum ea monimentis mandasti plurimis, quibus & dicendi ciuibus tuis, & viuendi tibi etiam ac reliquis exempla præscriberes. Quibus in libris ita virtutis tuæ imaginem expressisti, vt eos vnà velut pignora, obsidésque Gallis traderes: vt quæ tua futura esset reip. gerendæ ratio, tanquam ex Prætoris edicto, cognoscerent; neque eam vnquam licere crederent, quam ture tibi imposuisses, personam detrahere. Quod quidem paucis his mensibus, ex quo præesse ei muneri cœpisti, egregiè est à te perfectum: neque quisquam dubitat, cuiusmodi hæc initia sunt, quin breui per te huius Imperij salus constitui, ac legum auctoritas recuperari possit.

Hac tu grauiore curâ simul ac perfunctus eris, & maiora illa regni negotia sapienter explicaris, tum te ad hæc nostra, nec minùs tamen ad bene beatéque viuendum necessaria, conuertes, ac litterarum tuarum salubritati dignitatíque consules. Venit enim mihi in mentem, qui tuus ante paucos dies partim à me

auditus, partim ab aliis exceptus ſermo fuerit; cùm tu illud profitebare: nihil tibi gratius vnquam extitiſſe bonis artibus artiúmque peritis, neque in poſterum, quo maior ſubleuandi eſſet facultas, vlla in re defuturum.

Quamobrem vt eius vocis conſiliíque meminiſſes, tanquam admonitorem allegaui Nicephorum noſtrum: qui tibi cùm priuatim ſui, tum communi nomine litterarum patrocinium deferret: ſimul etiam rogaret, quòd in iis tractandis profitendíſque noſtra ſocietas elaboret, partem vt ad eam aliquam ſolicitudinis huius beneuolentiæque transferres: vt iis quibus ſæpè iactata eſt moleſtiis perfuncta, non tam ipſa conquieſcere poſſit, quàm & Eccleſiæ officiis omnibus & doctrinarum ſtudiis, vigiliis laboribúſque ſuis commodi aliquid afferre. De me verò quod præcipuè poſtulem nihil eſt, niſi vt audaciæ in te interpellando meæ ſic ignoſcas, vt amori erga te voluntatíque faueas. Vale. Lutetiæ Pariſ. VI. Calend. Sep. A.D. CIƆ. IƆC. XVI.



EPISTOLA IX.

FRANCISCO CARDINALI Rupifucaldo.

Nuncupatoria operum S. Epiphanij.

MELIVS NE ſit, & conſultius (CARDINALIS ILLVSTRISSIME) peſtiferarum hæreſeon nefaria dogmata conſignare litteris, an ea tacere penitus, iure inter ſapientes quæritur. Ac nonnullos minus ſectarum ipſa deſcriptio, diligens præſertím, & enucleata, delectat. Alij cautione quadam ac delectu opus eſſe iudicant; vt eæ ſolùm prætermittantur, quæ aut vetuſtate iam obſoleuerint, aut inſigni fœditate, ac ſpurcitia contaminatæ fuerint. Vtroſque mouet ea cauſſa potiſſimùm: quòd cùm vniuersè decretorum eiuſmodi recordatio pernicioſa ſit; tum eorum mortifera contagio, quæ obſcœnæ voluptatis lenociniis partim incautos alliciunt, partim inuitos, ac repugnantes afflatu nihilominus quodam turpitudinis, & odore perfundunt. Quamobrem quòd Epiphanius Gnoſticorum, Baſilidianorum, Carpocratianorum, Origenianorum arcanas, ac deteſtandas libidines tam diligenter expreſſerit, non illud quidem viri ſanctiſſimi factum, conſiliúmque reprehendunt: ſed co-

rum omnium memoriam obliuione conteri fuisse satius putant; & Græcè, vti scripta sunt, relinqui modò atque à peritioribus duntaxat legi oportere statuunt. Itaque latinè vt ea nos interpretemur, ac promiscuam flagitiorum conscientiam, communémque faciamus omnibus, probandum minimè esse contendunt.

Contra quos omnes tam Epiphanij nostri, quàm nostrâ etiam causâ disputandum breuiter existimo. Ac priores quidem illi, quibus totum istud negotium displicet, hæreseon abstrusa, ac recondita mysteria mandare scriptis, summum ac singulare veritati præsidium opinione sua detrahunt. Hoc enim extorquent; quo nascentes identidem, ac rediuiuæ mendaciorum sectæ validissimè propulsari à nobis, euertíque possint. Est quidem eius , qui in hæresim vel moliendam , vel tuendam incubuerit, animus in omnem audaciam sine vllo pudore proiectus. Sed nemo est tamen ex illis absurdarum opinionum patronis , quem non vtcumque conuicti olim erroris , ac damnati pudeat. Sint sanè , vti sunt, ferrei omnes hæretici : sint peruicaces : iidem se in ipso ardore, agitationéque disputandi ad resistendum acriùs fingant : tamen qui id didicerit; quíque certis veterum testimoniis compererit, antè ab antiquis Patribus, & Conciliis, publicóque Christianorum consensu agnita ac repudiata dogmata illa , quàm illi ipsi, quos sequitur, eorum interpolatores existerent; vix erit , opinor, vllus , cuius nisi frangi, edomaríque contu-

macia potuerit, non languidiores ſaltem habeat eruptiones, & impetus; ac paulatim per ſeipſam refrigerata, atque eneruata concidat. Habent igitur hunc fructum commentarij illi, qui hæreſibus ſcribuntur, vt in vnaquaque ætate fautores perfidiæ ac ſatellites ſuos in illis, quos quidem erubeſcant, principes auctoréſque recognoſcant.

Iam qui certas ex hæreſibus, eaſdémque vel obliteratas, vel turpitudine infames omitti iubent, difficilem quandam moderationem poſtulant: cuius ne ipſi quidem vſum, rogati à nobis, expediant. Etenim ſi hoc certò polliceri poſſent; opinionum illa portenta, poſtquam oppreſſa, ac ſepulta ſemel eſſent, nunquam niſi in libris extarent, emerſura denuò, neque ſuis ex illis buſtis, ac cineribus excitanda; nihil conſilio huic iſtorum præuertendum putarem. Sed cùm nihilominus ſtatis temporum interuallis eadem illa monſtra amputata toties, ac iugulata reuiuiſcant: cùm idem hæreſum illarum architectus, inuentórque Diabolus, etiam omni librorum extinctâ memoriâ, perſeueret: cùm iiſdem artibus, & machinis, eadémque ad illas inſtaurandas calliditate ac nequitia ſit præditus: neque nos iſtorum ille delectus adiuuat; & aduerſus redintegrati morbi periculum priſtina illa certiſſimáque ſubſidia comparanda ſunt. Potuerit ſanè ante annos aliquot, imò ſæcula, deſignatio illa certarum hæreſeon ad ſcribendum, & opportunitas iactari; cùm pauciores adhuc eſſent, nec tam diuerſis ac

dissimilibus ex formis, prodigiísque conflatæ. Hoc quidem tempore, quo emortuas pridem superiorum ætatum hæreses reuocatas in lucem, ac renouatas cernimus, ne dubitationi quidem illi, ac quæstioni locus ampliùs est relictus. Quod enim fuit in omni antiquitate genus opinionis ac sectæ tam horrendum, tam inusitatum & obsoletum? quis tam obscœnus, & abominandus error? quod perfidiæ genus tam palàm omnium voce condemnatum, quod non parentum nostrorum memoriâ fautores aliquos, ac sectatores habuerit? parum est de Arrianis illis conqueri, aut Macedonianis, Eunomianis, Nestorianis, & iis etiam antiquioribus Manichæis, Sabellianis, Samosatenis: ceteràsque veteris Ecclesiæ faces ac tempestates persequi: in quibus præter dogmatis falsitatem nulla, aut obscura fœditatis disciplina fuit: quæ omnes in Germania, Polonia, Pannonia, Russia, alibi denique renatæ ad hanc diem grassari, & increbrescere dicuntur. Illæ ipsæ sordidissimarum libidinum inuentrices hæreses, ac magistræ, quæ promiscuos concubitus, ac reliquam corporis turpitudinem ostentabant, quæque vno Gnosticorum vocabulo contineri nonnunquam solent, iisdem in locis in Adamianos, Pikardos, Waldenses, Lugdunenses pauperes, ceteráque portenta veriùs quàm nomina redundarunt. Veniam ad Galliam nostram, ac nouissimam Caluiniani labem dogmatis, atque pestem, quæ in illius gremio consedit. De qua verissimè hoc mihi

videor esse dicturus: velut sentinam illam orbis esse terrarum, in quam veterum, & recentium sectarum, errorúmque colluuies confluxit: ac quidquid hæreseon hactenus extitit, de quo legere aliquid, vel audire potuimus, ex eo libatum esse, ac deriuatum aliquid; atque ex abhorrentibus monstrorum omnium partibus, ac figuris, vltimum illud, ac reliquis horribilius esse concretum.

Quamobrem cùm & vbique terrarum, & hîc apud nos priscarum sese hæreseon, ac sectarum venena diffundant, ad illa, quæ suprà dixi, præsidia confugiamus, & medicorum imitemur industriam. Quorum maiores cùm eosdem humanis ingruere corporibus, ac recurrere morbos intelligerent, eorum origines, progressiones, proprietates, casuum, atque euentorum exempla, tum remedia diligenter in libris notarunt: quæ dum posteri legunt, contra illos ipsos alieno se vsu, experientiáque confirmant. Ita nobis quibus assiduum est iisdem cum erroribus, velut morbis ex interuallo recrudescentibus, ac iam antè cognitis, certamen ineundum, vtiles sunt commentarij antiquarum hæresum: ex quibus non earum modò notitiam adipiscimur; sed ad illas etiam, vbi renatæ fuerint, profligandas, eadem paramus auxilia, quibus, cùm primùm nascerentur, extinctæ sunt.

Quo in genere cùm multorum Patrum egregiè sit labor, ac cum laude versatus; quem tu tamen, siue diligentia, siue vbertate eruditio-

nis, accopia, cum Epiphanio conferas, reperies ex omni antiquitate neminem. Non enim ille breuem duntaxat hæreseon indicem ceterorum more conscripsit: quemadmodum Augustinus, Philastrius, Hieronymus, Damascenus, copiosiùs etiam Theodoretus, atque alij complures instituerunt: nec illorum tantummodo opiniones ac dogmata, res etiam ab earum auctoribus ac principibus gestas accuratissimè proposuit. Sed quibus armis insuper, aut illarum petitiones depelli, aut vicissim illæ peti, expugnaríque possent, vberrimè doctissiméque monstrauit. Quibus etiam de causis Πανάριον, siue, vt Anastasius Sinaita in quæstionibus, ac Photius cum Græcis aliis habet, Πανάρια, id est, *medicam arcam*, siue *capsulam* ac *thecam*, opus illud inscripsit: vt in eo sciremus contra mortiferos, ac venenatos serpentium morsus, adeóque morbos omnes hæresum, saluberrima remedia contineri.

Quocirca persæpè sum equidem Augustinum, vehementérque miratus: qui in libro de hæresibus ad Quodvultdeum, cùm Epiphanij meminit, hæc de illo in præfatione posuit: *Noster verò Epiphanius Cyprius Episcopus abhinc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione aduersus falsitatem pro veritate decertans. Breues sanè sunt hi libelli: etsi in vnum libellum redigantur, nec ipse erit nostris, vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Huius*

breuitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quid à me breuius postulare, vel expectare debeas non habebis. Hæccine, quæso, de Epiphanij panario Augustinum scribere? affirmare opus esse perbreue: &, si in vnum libellum redigatur, tam mediocri mole, & amplitudine futurum? negare denique aliud iis in libris, præter simplicem hæreseon historiam, sine vlla mendacij oppugnatione tractari? Atqui & vberrimi sunt de hæresibus Epiphanij libri: & aduersus singulas fusè, accuratéque disputat: nec illud ipsum postremò, quod omissum ab Epiphanio, à se verò factum iri dixerat, vt aduersus singulas hæreses dissereret, aut in illo de hæresibus libello, aut in alio Augustinus ipse præstitit. Nihil enim præter sectarum omnium summam errorúmque capita complexus est. Quod postremum, vt admirationem auget; ita prius illud non leuem suspicionem facit, Epiphanij panarium ipsum, opúsque aduersus hæreses integrum Augustinum nondum, illa cùm scriptis proderet, vidisse: sed illius duntaxat Epitomen, atque eiusdem fortassis Anacephalæosin, siue breuiarium ex singulorum tomorum, & hæreseon argumentis, & capitibus collectum. Quanquam illud etiam mouet, quod in sex libros asserit Epiphanij opus esse partitum. At id secus se habet. Nam in tres duntaxat libros tribuitur. Libri omnes in tomos septem. Quare illud Augustini singulare, est quod LVII. hæresi, quam Psallianorum vocat, Massalianorum Epiphanius,

ſubtexuit : *Proinde ille de octuaginta hæreſibus ſeparatis viginti, quas ante aduentum Domini extitiſſe, ſicut ei viſum eſt, computauit, reliquas poſt Domini aſcenſum natas ſexaginta, breuiſſimis libris quinque comprehendit, atque omnes in ſex libros totius eiuſdem ſui operis fecit concludi.* Tres in libros Panarium omne diuiditur. Primus tomos continet tres : quorum in priore viginti illæ ſunt Chriſto antiquiores hæreſes. Alter earum, quæ poſt Chriſtum exortæ ſunt, tredecim colligit. Totidem poſtremus. Ac ſi librorum nomine tomos Auguſtinus intelligit, dempto ſuperiore illo, qui viginti ex hæreſibus conſtat, reliqui ſex erunt, non ſeptem. Quare fuerit illius operis, ſiue Epitomes alia ratio, partitióque neceſſe eſt, quod ſe Auguſtinus legiſſe, & imitari voluiſſe demonſtrat.

Sed à minuta illa, & anguſta diſquiſitione ad id redeo, quod de Panarij commendatione ac fructu diſputare cœperam. Nam ad illud, de quo agebatur, Catholicæ religionis patrocinium, & hodiernarum euerſionem hæreſum opportunitates innumeras & adiumenta ſuppeditat. Primùm quod de eius auctoritate, propter & ſcriptoris vetuſtatem, & illuſtrem inter Patres dignitatis locum, ne ipſi quidem obtrectatores antiquitatis, ac bonorum hoſtes omnium dubitant. Deinde quod præcipua quæque decreta fidei, quæ opinoſiſſimi homines his temporibus inficiari audent, tam expreſſis ab illo teſtimoniis approbantur; quæ autem iis

illi contraria defendunt, ſuos ad auctores, hoc eſt hæreticos, reuocata veteres, tam grauiter, ac crebrò refutantur; vt quem adhuc falſitatis iſtius non pudeat, communem antè ſenſum, quàm modeſtiam, verecundiámque perdiderit.

Hæc de Epiphanio noſtro adeò magnificè, ſplendidéque iactata quàm vera ſint, planum in ſingulis Lutheranorum, & Caluiniſtarum erroribus facerem, ſi id aut Epiſtolæ breuitas ſineret, aut alium, quàm te (CARDINALIS ILLVSTR.) oratio hæc à nobis inſtituta reſpiceret. Sed id aut alio fortaſſe loco præſtabimus; aut ad certos hodiernis è ſcriptoribus remittemus, qui in eam partem ſtudiosè, ac ſanè vtiliter incubuerunt. Tibi verò nota magis illa, quàm mihi ſunt; qui quantus vir Epiphanius fuerit, quantúmque Panarij iſtius momentum ſit, non aliena commendatione, ſed ſtudio ipſe tuo, experientiáque didiciſti. Ac quicquid hactenus vel de auctoris huius præſtantia, vel hæreſeon labefactandarum ratione paulò verboſius explicaui, non id tuâ cauſsâ, neque vt quod abs te diſcere debeo, hoc te ipſe docerem, pertractare volui: ſed vt conſilium de hac editione meum expoſitum tibi, à téque probatum, manaret ad ceteros, tuóque ſe iudicio, & auctoritate defenderet. Quam ego prærogatiuam voluntatis, humanitatíſque tuæ dignitate ipſâ muneris, ac pretio impetrare malui, quàm, quæ trita, & peruagata præfationum ſeges eſt, ornandis tuis laudibus, ac virtutum

tuarum

tuarum præconio colligere. Nam apud te de te vt verba faciam, ſingularis, quæ in te eſt, grauitas, ac modeſtia non patitur. Neque te ambitiuncula iſta, &, quod eſſe iucundiſſimum omnium acroama dicitur, ornamentorum tuorum, atque inſignium prædicatio delectat. Itaque non alio ſequeſtre, ac conciliatore gratiæ tuæ vſus, quàm Epiphanio ipſo, ad tutelam nominis tui, patrociniúmque confugi. Quod vt mihi defuturum non eſſe confidam, facit amor imprimis erga litteras tuus: tum pietatis, religioniſque cognitus omnibus, ac perſpectus ardor, quibus ex ambobus ſtudiis noſtræ illæ in Epiphanium collatæ operæ, vigiliæque proficiſcuntur. Faciunt excellentes ingenij artes, virtutéſque ceteræ: quibus Eccleſiæ principatum iamdudum publica omnium vota, ac ſuffragia deſpondent. Facit poſtremò prolixus tuus in ſocietatem noſtram, ac multis indiciis perſpectus, atque exploratus animus: tum nonnullus quoque tenuitati noſtrę patefactus iamdiu ad benignitatem tuam aditus, ac receptus. Quorum omnium ſummam breuiſſima hac, certiſſimáque voce complectar: neque te dignius, quàm quod à me modò defertur, offerri tibi munus poſſe; neque digniorem, cui illud offerrem, te vno reperiri potuiſſe. Vale. Lutet. Pariſ. An. ineunte M. DC. XXII. XVIII. Cal. Feb.



EPISTOLA X.

GABRIELI ALBASPINÆO Aurelianensi Episcopo.

Nuncupatoria appendicis ad Epiphanianas animaduersiones.

QVOD in clericorum querelis, & controuersiis vetera Ecclesiæ iura præscribunt (PRÆSVL AMPL.) vt episcopi se arbitrio, iudicióque sistant; id in hac quadam lite nostra libenter ad te venio, studioséque facturus. Accusatus enim à clerico tuo clericus & ipse quondam tuus: tum iniuriarum in te falsò, & immeritò postulatus, non alium, quàm teipsum mihi iudicem; immo verò defensorem ac patronum quæsiui. Editus est enim paucos ante menses obscurus quidam libellus à Maturino Simonio Aurelianensis Ecclesiæ Decano: cuius species & inscriptio quidem ipsa dispunctiunculas nescio quas de pœnitentiæ ritu vetere in Ecclesia pollicetur. Sed in epistola, quam in fronte tibi operis inscripsit, postquam verissimis te laudibus, at longè merito tuo minoribus, ornauit, de me ita queritur: cùm ingenui sit animi profiteri, per quos profeceris, idipsum factis suis non probasse

Petauium : qui quæ in ſchedis tuis à ſe lecta eſſe dicit, ea, te nuſquam laudato, publicare anteuerterit. Caput eſt hoc accuſationis illius, criminíſque noſtri : tum libelli conſcribendi finis vnicus. Reliqua diſputatio omnis, quam ſeptem capitibus complectitur, acceſſionis locum habet. Itaque languida eſt, ac debilis illius de ritu pœnitentiæ conſequens oratio; & vt cetera non deſint, nuda & ſimplici auctoritate dicentis, non probationibus argumentíſque nititur: vt indicio ſit non præcipuè id illum agentem, ad alterius inſtituti occaſionem iſta ſcripſiſſe. Ego verò, poſtquam attentè diligentérque circumſpexi, méque in omnes partes cogitatione conuerti, intelligere non poſſum, qua re adductus ille, quem neque de facie hactenus noui, neque cùm eo vſum aliquem, ac ne leuiſſimi ſermonis commercium habui; cuius denique nomen aliunde, quàm ex Diſpunctiuncularum inſcriptione, non didici; ita in me cõmmoueri potuerit, tam vt incredibilia de me ſuâ illâ epiſtolâ vulgaret. Equidem Decanum Aurelianenſis Eccleſiæ non modò Chriſtianum, & Catholicum, ſed etiam virum bonum ac probum eſſe ſtatuo, neque Chriſtianæ legis, & diuinæ, fraternæque caritatis oblitum. Atque eo magis admiror, id ætatis, prudentiæ, ordinis, ac dignitatis hominem, non dicam hæc finxiſſe de me, ſed vndecumque tandem accepta, tam credidiſſe facilè, vt aliis etiam perſuadere voluerit. Nam quid eo crimine, quod nobis obiicit, vanius eſt, aut minori

veritatis ſpecie coniunctum? Schedas me tuas (PRÆSVL AMPLISSIME) antequam Animaduerſiones noſtras ederem, legiſſe dicit. Quod longè aliter habere, non tu ipſe modò ſcis; ſed amicis etiam noſtris ea de re querentibus palàm teſtatus es. Tametſi ſchedas me legiſſe tuas non ille quidem dicit apertè; ſed obliquè, & captioſè loquitur: vt qui minus attentè ipſius verba percurrunt, illud ipſum affirmari putent; atque eiuſmodi de nobis ſuſpicionem auferant. Rurſus ſi de tam perſpicua falſitate redarguere quiſpiam illum voluerit, eò confugere poſſit, non ſe ſchedas iſtas à nobis dixiſſe eſſe lectas: ſed quod in ſchedis tuis ipſe legiſſet, de quo ſermonem ſæpè tecum habuiſſem, id me edere in vulgus anteuertiſſe. At ego me tecum fateor, cùm aliis de rebus, quæ ad doctrinam pertinent, tum de Eccleſiaſticis moribus, & antiquitate non rarò diſputaſſe; ac de nonnullis, quæ minus habebam explicata, quæſiſſe: nec mediocrem ſanè fructum ex hoc vſu tuo, ac colloquio cepiſſe; cùm iis etiam, quæ à te reſpondebantur, partim aſſentirer penitus; partim fretus æquitate, humanitatéque tua contradicerem. Nam cùm hodie te nemo rerum illarum ſcientia & exercitatione ſuperet; tum candore illo, & facilitate mirificè præſtas: vt eorum, quæ ſapienter aſſeris, non, vt ille, qui contra me ſcripſit, auctoritate ſola fidem extorqueas; ſed liberum cuique iudicium, & integras quæ velit tuendi ac diſputandi partes relinquas. Quod ad ea

verò pertinet, quæ de pœnitentia, déque ceteris Ecclesiæ ritibus in Epiphanianis animaduersionibus commentatus sum, ea me scio, Dei ope, ac beneficio, non aliunde mihi, quàm labore & industria mea, assidua veterum lectione, aliquot annorum vsu ac meditatione peperisse. Possum Dispunctori, accusatoríque meo de singulis, quæ illîc tractaui, capitibus, easdem illas, quibus vsus sum auctoritates, iísque multo plures in aduersariis meis notatas ac perscriptas ostendere, quas ex Tertulliano, Cypriano, ceterísque PP. & antiquis Conciliis, ac Canonibus, vt scriptorem quemque legebam, studiosè multis ab hinc annis obseruaueram. Sed neque χρηστομαθείας istas, neque si quid ex illis solerti ratione, aut coniectura deduxi, tanti æstimo, vt pro tantillarum rerum vindicanda possessione suscipiendas simultates, & altercationes existimem: nedum vt ex incerta, falsáque suspicione certam nomini alicuius infamiam, inuidiámque consciscam. Ac vel tuam ille saltem (AMPLISSIME DOCTISSIMEQVE PRÆSVL) moderationem imitari vellet: qui cùm luculentissimum ac laudatissimum illud opus Ecclesiasticarum obseruationum post animaduersiones nostras ederes, de plagio illo ne littera quidem conquestus es; quod recenti re, & ab eo, cuia hæc erat, fieri maximè conueniebat. Tu verò, cùm certis de capitibus contrà atque ego sentires, nihil in nos asperè tamen, inclementérque dixisti: atque ita tuam homo non minùs prudens, quàm

eruditus opinionem explicasti, vt existimationi nostræ, amicitiæque parceres. De hac in me lenitate vti iure tibi maximam gratiam habeo; ita Dispunctori meo succensere possum, qui eandem aliena in caussa non adhibet, quam in tua tibi decoram, & honestam putasti. Quamobrem quod contra me vtcumque ille scribere, & errata mea castigare voluit, non modò non reprehendo; sed quoquo animo fecerit, bonam in partem accipio. Video enim id & communium interesse litterarum, & honestè ac laudabiliter posse fieri; cùm nemo sit qui aut aliqua re non peccet; aut ab errore suo, sic tanquam malo, ac morbo se quodam eximi optare non debeat. Hunc igitur redarguendi mei conatum fero non inuitus: hoc conqueror, sine iniuria, contumeliâque, cùm posset, magis istud ipsum noluisse facere. Alterũ enim tolerabile est, vt dixi: alterum cuiusmodi sit, ne is à me violatum se putet, nolo verbis meis exprimere. Equidem quod aduersus Catholicos, & illius præsertim ordinis viros ægrè adducor vt scribã, etiam lacessitus; quamlibet iniquam eius reprehensionem non solùm patienter tulissem, verùm etiam tacitè, si hactenus conatus ille procederet, vt in probabili quæstione, contra opinionem nostram, non aduersus tuam (Præsvl Amplissime) immo verò communem Ecclesiæ doctrinam veniret. Hoc enim restabat vnum, vt in plerisque, quæ pronunciare satis habuit, non solùm à tuis ipsis, quorum se vindicem, atque interpretem facit, scriptis, &

auctoritate recederet; sed à communi Catholicorum iudicio magnopere dissideret. Caput est secundum Dispunctiuncularum, quo quid sit dare pœnitentiam, planè contrariâ, ac tuum, & Ecclesiæ dogma fert, ratione, prudens, an imprudens exposuit. Omitto nunc cetera, quæ te in ea, quam inscriptam nomini tuo apparêre volui, disputatione legere malo, quàm ex breui hac epistola cursim, leuitérque cognoscere. Quam quidem Diatribam nostram quisquis attentè, ac patienter exceperit, non minùs ad iniquam depellendam criminationem, honestam nobis; quàm ad tuam, & Ecclesiæ propugnandam illustrandámque doctrinam, piam ac necessariam fuisse iudicabit. A te verò (PRÆSVL AMPLISSIME) postremò illud postulo, quod impetraturum me esse confido; vt contra criminatores meos integrum mihi tuum animum, beneuolentiámque conserues: tum vt de me vicissim tibi pollicere; fautorem me dignitatis tuæ, non, vt quidam, alienis dispungendis laboribus; sed more bono, probóque, tuendis quoad licet, monimentis tuis, perpetuò futurum. Vale. Lutetiæ Parisiorum CIↃ. IↃC. XXIV.



EPISTOLA XI.

ARMANDO CARDINALI de Richelieu.

Nuncupatoria operis de Doctrina temporum.

RES est vna sanctissima sacratissimáque tempus (ILLVSTRISSIME CARDINALIS.) Nam & originem ducit è cælo; cuius ex motu & conuersione potissimum oritur: & excellentem diuini numinis in plerisque similitudinem gerit. Vt enim Deus omnium est notissimus idem, & ignotissimus: quem & esse nemo non intelligit hominum; & cuiusmodi sit nullâ potest cogitatio consequi: sic tempus esse aliquod sentiunt omnes: quid sit autem, ne sapientissimi quidem capere animo, nedum verbis explicare possunt. Rectè igitur Augustin. lib. Confess. vndecimo, postquam multa de natura temporis acutè, subtilitérque disseruit, ad extremum nescire se quid sit tempus fatetur quinto & vicesimo capite, cùm ita decimo quarto scripsisset: *Quid ergo est tempus? si nemo ex me quærat, scio: si quærenti explicare velim, nescio.* Ad hæc similiter ac Deus, vniuersa continet tempus: rebus omnibus infunditur;

abest nusquam : præest omnibus : cuncta moderatur, ac mutat : sua cuique vel agendi, vel viuendi, vel omnino consistendi spatia præscribit. Hinc veteres illi fictis fabulis non solùm Deos inter adscripsere tempus : sed etiam satorem ac parentem ceterorum esse docuerunt. Ex quo factum illud interpretor, vti regendi gubernandíque temporis munus apud omnes populos soli quondam Sacerdotes, ac Pontifices obierint. vt iisdem communis naturæ suffragio & sacrorum cultus, & rei omnium sanctissimæ, temporis procuratio concessa sit. Præsertim cùm inter omnes ritus, quibus cæleste numen colitur, non minima sit temporis, hoc est feriarum ac festorum dierum religio.

Igitur apud Babylonios, Chaldæi : apud Indos, Brachmanes : apud Ægyptios, Hierophantæ : apud Romanos, pontifices : apud Gallos nostrates Druidæ : apud Iudæos, sacerdotes popularibus fastis ordinandis, summo iure præfuerunt. Romæ quidem præ ceteris tam infinita penes hunc ordinem potestas illa fuit, iidem vt arbitrio suo producerent, aut contraherent annorum spatia, & eam labem pedetentim consciscerent, quam Iulius Cæsar eadem pontificij magistratus auctoritate compressit. Non minor tempori, Christianorum moribus & institutis, sanctitatis honos est habitus. Quod cùm antiquioris Ecclesiæ persuadet vsus : tum recentis ac nostræ propemodum memoriæ, & ætatis exemplum. Quis enim graues illas & diuturnas de Paschate dissensio-

nes, quibus tot annis Ecclesia iactata est, aūt extitisse nescit olim; aut aliter didicit, quàm & ciuilium emendatione temporum, & Sacerdotum arbitrio restinctas? Quam quidem Fastorum corruptelam, ac perniciem vetustate corroboratam, & in dies grassantem Gregorius decimus tertius Pontifex maximus pari felicitate, ac Christiani orbis approbatione sustulit. Age num illud est obscurum de temporis religione populorum omnium iudicium, quod annales nulli admodum prӕterquam sacerdotes attigerunt? De iis loquor annalibus, qui publica fide perscribebantur. Quibus commentandis, in lucémque propagandis eӕdem à me commemoratӕ nationes, sui quӕque generis sacerdotes, sic tanquam sacrorum cӕremoniis, prӕesse voluerunt.

Huius temporis propriam aliquam esse scientiam, atque ab reliquis distinctam; vt magnitudinis Geometriam; numerorum Arithmeticam; sonorum Musicam; naturalium corporum Physicam; haud scio quàm plerisque facilè persuaserim. Sed esse tamen nonnullam vincit eadem ratio, quӕ superiores illas, adeóque ceteras inuicem secernit. Etenim quicquid illud est, quod contemplationi nostrӕ prӕcipua quapiam ratione sic obiicitur vt ex causis principiísque cognoscatur, id, vt philosophis placet, sui generis scientiam efficit. At est eiusmodi tempus: quod sic à nobis considerari potest, quatenus ad humanos accommodatur vsus, & populares rationes inflectitur. Erit er-

go peculiaris, & ab aliis ſeparata temporum ſcientia.

Hanc nos incredibili multorum annorum ſtudio ac labore perueſtigatam, & confectam opere iſto complexi ſumus: quod ſub illuſtriſſimæ amplitudinis tuæ nomine iuſtis de cauſis, ac propè neceſſariis apparere voluimus. Nam cùm rei ſacroſanctæ, temporis inquiſitionem, tractationémque contineat: & hoc ipſum non vulgari, communíque modo, ſed ſubtili, & ad intelligendum perdifficili tradatur: cúmque vel reipſa, vel, vt dicam modeſtiùs, opinione noſtra, nunc primùm in abſolutæ ſcientiæ redacta formam, quaſi noua quædam diſciplina prodeat: nec dubitetur, quin aduerſus obtrectatores, atque æmulos perpetua ſit illi parata contentio: cuiuſnam potiùs, quàm tuam (ILLVSTRISSIME CARDIN.) ad fidem, ac tutelam applicari debuiſſet? is enim quærendus, opinor, & aſciſcendus patronus fuit: primùm minimè profanus homo; ſed ſacra, & huius argumenti ſimili dignitate præditus; tum acerrimo idem ingenio: qui capere iſta poſſet, ac de iis cauſſa veluti cognita, iudicaret. Præterea qui & nouum hunc ſcientiæ fœtum aduerſus inuidiam auctoritate confirmaret ſua, & amplitudine potentiæ tutum illius nouitati præſidium poſſet afferre. Hæc qui in altero ſimul vniuerſa, quàm in te, maiora reperire potuerit, dubitet ſanè cur tibi potiſſimum inſcripſerim: immo & temeritatem accuſet meam, & prudentiam deſideret: quòd

principem virum in grauissimis totius regni sustinendis negotiis occupatissimum interpellare non sim veritus. Sin ea, quæ dixi, in te vno summa sunt: si, vt de dignitate, ac potentia modò sileam, ingenij in te vis est tanta, quantam maximis in rebus gerendis, & solerter explicandis quotidie cernimus: si cùm in omni genere à pueritia versatus sis non harum modò communium, sed reconditissimarum artium, non minùs earum te modò tractatio, & consuetudo delectat; habet idoneam rationem quisquis ex me curiosiùs exquiret, vel consilij in te deligendo mei, vel ad opem sperandam fiduciæ: sed priuatam & huius actionis, ac propositi propriam. Ad hanc igitur altera communis accedat, & officij lege constituta, quod ex ea societate sim, quæ se tibi cùm aliàs semper beneuolentiæ nomine obstrictam meminit: tum nuper summis suis temporibus recreatam, per te modò sospitem, & incolumem esse profitetur. Cuius te etiam defensorem innocentiæ, fautorem otij ac securitatis fore persæpè es pollicitus. Quamobrem vt & veteris in nos studij, recentis verò huius beneficij gratiam amplitudini tuæ referrem aliquam: & illius tibi promissionis memoriam refricarem, vtriusque monimentum hoc in opere statuendum, ac tibi consecrandum putaui.

Patere igitur (CARDIN. ILLVSTRISSIME) dum tu pacificandis temporibus nostris necessariam, & assiduam huic regno, Christianissimóque Principi operam adhibes, cùm re-

liquas pacis alumnas artes, tum hanc ipſam vel inſtauratam vigiliis noſtris, vel repurgatam temporum ſcientiam ſub tutela benignitatis adoleſcere tuæ: vt eidem, cui per te propagabitur, perpetuitati temporis ill. A. T. nomen ac decus commendet. Vale. Lut. Pariſ. A. D. CIƆ. IƆC.XXVII. XIV. Cal. April.

EPISTOLA XII.

ARMANDO CARDINALI de Richelieu.

Nuncupatoria Vranologij.

CÆLESTES in hominibus eſſe ſatus animorum (CARDINALIS ILLVSTRISSIME) res hæc vna perſuadere poteſt; quod incredibiliter eos cæli, ſiderúmque vel contuitus ipſe delectat. Quis eſt enim, qui cùm ſe paululùm erexerit, & ad pictos illos mirabili varietate, ac ſplendentes orbes ora conuerterit, non ſe affici ſubitâ voluptate ſentiat, & hoc velut tacitum teſtimonium ortus inde ſui, & originis agnoſcat? Hinc neſcio quis ex illa vetuſtate ſapientum, cùm à quopiam interrogatus eſſet, quam ob cauſſam veniſſe putaret in mundum, ſolis contemplandi gratia reſpondiſſe fertur. Quàm id ſapienter, nihil ad præſens negotium attinet: eo certè quidem valet,

vt naturalem inesse cum cælo necessitudinem animis nostris, arcana consensio, & cupiditas ista testetur. Sed sunt plerique ita vasti, & agrestes homines, & in corporum curam adeò intemperanter effusi; vt illius insitæ dignitatis nulla, vel obscura vestigia, & quasi lineamenta retineant. Sunt autem è contrario quidam rara mentis indole præditi, qui communium, vt ita dicam, natalium splendorem excellentis naturæ bonitate sustinent. Quod quidem duarum rerum consequuntur aliquâ. Nam aut ad veri perspicientiam, & ad res abstrusas acutissimè peruidendas celeres habent ingenij motus, ac propè diuinos; quo in genere sapientia cernitur: aut ad vsum vitæ, ac cùm sui, tum ceterorum gubernationem solertia valent; quod est prudentiæ proprium. Ad illos priores annumerandi sunt ij, qui suo studio aut inuentas artes, ac disciplinas posteris tradiderunt; aut ab aliis elaboratas, vt minore quàm isti gloria, sic interdum pari sunt ingenij laude complexi. Ex iis porrò artibus ad illam quam quærimus, informandam diuinitatis animorum notam, ac specimen, eæ potissimùm spectant quarum in cæli, stellarúmque peruestigandis motibus occupata cognitio est. Quis enim non aut humana perfectum hoc industria iure miretur; aut sine altioris communione naturæ potuisse fieri putet; vt tam infinitis remota spatiis positi in terra mortales animaduertesent, eáque non minùs exploratam, quàm subtilem in rationem viámque cogerent? Aspice tot

ortus siderum, & occasus: Solis item, ac Lunæ; & errantium quinque reliquorum varios cursus, cùm per se difficiles singulos, tum mutua complexione magis inextricabiles, & obscuros. adde horum omnium; sed duorum præsertim, quæ mundi principatum tenent, coniunctiones inuicem, & regressus ab sese; tum suppressiones luminis, ac defectus. Hæc omnia constantibus, neque fallentibus regulis ita comprehendi, vt tanto antè sciri futura possint; non inclusorum corporibus, & in solo repentium, sed in cælo ipso degentium esse opus animorum videtur. Meritò itaque Plinius tantam in homine vim miratus ingenij, principem doctrinæ, inuentíque huius Hipparchum prædicat his verbis, quibus eandem ferè, quam posui, sententiam expressit. *Hipparchus* (inquit) *nunquam satis laudatus; vt quo nemo magis approbauerit cognationem cum homine siderum, animásque nostras partem esse cæli.* Immo verò non cæli partem animas esse nostras; sed eo sublimius aliquid, & diuinius; præstantiorum cælo rerum iis subiecta scientia demonstrat.

Iam in altero genere, quod in ordinandis, & consilio, ac prudentia gubernandis rebus existit, inest etiam summi illius imago numinis expressior. Dei est enim moderari inferioribus omnibus, & eorum aptas ex sese continere caussas; ac per singula diffusum, & impulsu suo cuncta vegetantem, vim iis, actionem, modum, ordinéque tribuere. easdem denique,

quas in ſpirantium corporibus exercet anima, partes ſibi in hac mundi vniuerſitate depoſcere. Quod adeò peculiare Deo eſt, vt qui cetera ipſius præter mentis cæcitatē non viderāt, hoc de eo tamen ſenſerint veteres philoſophi, ac mūdi animam Deum eſſe, minore, quàm in reliquis, contentione ſtatuerint. Hanc prudenter adminiſtrantis vniuerſa, & vt blandè, ſic potenter inſinuantis per ſingula ſe Dei ſpeciem, qui quantum hominibus licet, perfectè poſſent aſſequi, nonnullos maiorum noſtrorum extitiſſe memoria fatendum eſt, & hac ætate pauciores eſſe: qui autem ex hac poſteriore, ciuilis prudentiæ; & illa priore, doctrinæ & ſapientiæ laude confectam, & abſolutam cum Deo germanitatem exprimerent, longè pauciſſimos inuenies & maiorum noſtrorum temporibus & noſtris. Ac ne nullos eſſe conqueramur hodie; néve ſolis ex hiſtoriis illius nobis capienda putemus exempla; facis tu quidem (CARDIN. ILLVSTRISSIME) inſigniter ex omnibus. Nam neque te ſcientia eſt maiore quiſquam iſtius loci, & ordinis hominum. Et rerum gerendarum induſtria, nauitate, conſilio, felicitate longè præter ceteros excellis. Sapientia primùm quanta in te ſit, qui tui vſum habebit aliquem, teſtem nullum requiret. qui non nouerit, poteſt ex editis à te libris coniecturam capere: quos partim inſtituendis Catholicis, partim confutādis hęreticis eruditè ornatéque ſcripſiſti. His aliarum quoque diſciplinarum adiungis ſtudia: ſic vt nulla polito ſit ars homine digna,

digna, cuius non vel peritiam tibi: vel, si minùs necessaria sit, amorem certè, ac patrocinium adsciscas. Sed hoc fortasse domesticum decus nos Franci populares tui coràm cernere, & admirari possumus: exteri verò minus propter longinquitatem sentiunt. Illud alterum inuictæ, excelsæque mentis, & quamlibet multis, magnísque rebus fortiter capiendis, & solerter explicandis idoneæ, nulla est hodie neque tam remota gens, quæ non intelligat; neque tam inimica, quæ non fateatur, ac prædicet. Etenim illa paucis annis te hortatore, consiliario & adiutore gesta sunt, quæ vix animo concipere quisquam ob magnitudinem; ignorare propter claritatem, & splendorem nemo possit: obscurare verò detrahendo, ne inuidia quidem ipsa, maleuolentiáque audeat. Ac si pacis ea tantummodo essent, ac togæ, quamuis gloriosa, & magnifica, minùs tamen incredibilia de eo viro putarentur, qui ad Ecclesiasticum adscriptus ordinem pacis artibus se ab ineunte ætate dedidisset. Verùm ita bellica etiam in re, ac militari versatus es, quasi nihil in vita egisses aliud: ac cum præstantissimorum imperatorum gloria non solùm adæquasti, sed supra illos etiam extulisti tuam. Quod enim plerique nec vsu plurimorum annorum, ac disciplina, nec assiduitate bellandi consequi potuerunt, id sola ingenij, & naturæ felicitate es adeptus: verissimúmque illud esse probasti quod dixit Pindarus, Σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ, hoc est præstantes homines natura magis, quàm institutione niti

ad ſapientiam. Habent enim diuinos impetus animorum excellentes viri; quales in Heroibus extitiſſe ſcribit Ariſtoteles; quibus ad res magnas, atque arduas excitantur, maximéque communi hominum generi ſalutares. Eiuſmodi in te motus, & inſtinctus eſſe qui neget, nonis tam iniquus gloriæ tuæ, quàm infeſtus diuinæ, & in ambos ingratus habeatur. Deus eſt profectò, Deus, qui tibi (CARDINALIS ILLVSTRISSIME) parem tot rebus prouidendis, obeundis, perficiendis, animum dedit, quibus vix tentandis vis, aut ætas humana ſufficeret. Hunc habes auctorem capiendorum conſiliorum; hunc exequendorum ducem, ac præſidem. hic in dubiis, & impeditis lucem obiicit menti tuæ: vt non tam de incertis exiſtimare ſapienter, quàm proſpicere futura videaris. Idem denique, vt quæ priora ſunt omnibus attingam, Ludouicum regem impulit, te vt adhiberet in regno gubernando curarum omnium conſiliorúmque participem; ac tuæ fidei & prudentiæ grauiſſima quæque committeret. Cuius de te principis iudicium, nō ſolùm vt iuſti; non vt ſapientis ſolùm: ſed vt innocentis, ac Deo cari, propéque familiaris; ſic tanquam ab iuſtitia ipſa, à ſapientia, ab innocentia; poſtremò ab ipſo Deo profectum debet videri.

Mirabamur anteà, cùm id, quod ſæpè dici meminimus, de rege hoc audiebamus, nihil illum priùs aggredi, quàm cum Deo prolixè, diligentérque communicaſſet, atque in quoddam ſe diuini numinis ſacrarium recipiens, oc-

cultas inde ſignificationes, afflatúſque ſumpſiſſet. Hanc non temerè de illo ſparſam eſſe famam, ſi non ei ſuffragatrix vitæ reliqua integritas accederet, ſatis ipſe delectus oſtenderet eorum hominum, quos pacis, bellíque muneribus adminiſtros, & curatores præficit. Te verò, cùm præ cunctis optauit vnum, cuius in fide ac prudentia de omnibus acquieſceret, communem de ſe opinionem vehementiùs hoc ſuo facto comprobauit. Eſt quidem minimè hoc ſapientis hominis, ex euentu probare conſilia: propterea quòd temerè ſuſceptis interdum temeritatis comes fortuna reſpondet: eadem prudenter, cautéque prouiſa medio in curſu plerumque deſtituit. Sed ſunt extraordinarij quidem ac miraculi ſimiles exitus rerum; in quibus auctorem Deum admirabilitas ipſa commendat; cùm inuſitatum aliquid, ac voto maius accidit, quod nec humana prouidere ratio potuit; nec ſibi tam facilè, ac repentè polliceri. Eiuſmodi illa fuêre primùm, quæ in Santonibus, & ad Rupellam, atque in finitimis prouinciis à te ſunt geſta nuper; quibus non præſentium modò temporum viciſti ſpem, ſed etiam memoriam ſuperiorum. Vrbs non Galliæ ſolùm, ſed orbis terrarum munitiſſima: quæ in medio regni ſinu, & gremio nouum ſibi regnum ſtatuerat: quam nemo non obſideri, ac vallari poſſe diffideret; nedum capi, expugnaríque crederet: paucis obſeſſa menſibus, ac terra, maríque vallata, capta expugnata, Ludouici regis auſpiciis ac virtute, conſiliis

tuis, in illius poteſtatem venit. Hoc in vno facto quàm multa & ad ſtuporem ingentia, & ad gloriam illuſtria, & ad præſentis numinis indicium expreſſa continentur! ſed ea non ſolùm epiſtolæ modum, ſed ſcribentis etiam captum ſuperant. quæ qui longiùs diducta, & maiori quàm in me, orationis illuſtrata copia legerit, non vnius anni, ſed ſæculi eſſe res arbitretur. Quid illa quæ deinceps geſta ſunt? hac enim perfidiæ, & ſeditionis arce de prædonum manibus extorta; euerſis oppidis aliquot, & ſuccenſis; fuſis ac diſiectis perduellium copiis; curſibus deinceps ad libertatem, & ſalutem imperij cum religione fortuna contendit. Tum demùm ciuitates & prouinciæ, peſtifera ſocietate diſſuta, certatim ad obſequium fidémque redierunt. Ex quo, ſublatis factionibus, regno ſimul, Eccleſiæque parta in ſempiternum pax, & ſecuritas. Nam quod hactenùs velut portentum de fabula, biceps erat, & bicorpor, & vix eodem trunco ac radice adhuc hærebat: paulatim in vnum corpus, formámque coaluit. Hic ille optatus magis à nobis, quàm ſperatus victoriæ fructus oſtendit quorſum conſilia tua pertinerent, ac quid in iſtis laboribus, vigiliiſque propoſitum haberes. Intelleximus eò te ſpectaſſe quidem, quòd & nondum perfecta re, ac ne ſuſcepta, aut deliberata quidem præ te tuleras, vt ciuilibus pariter, & Eccleſiaſticis rebus Galliæ compoſitis, liber vbique Catholicæ fidei campus aperiretur: vt eſſet in ea non magis Chriſtianiſſimo

regi, quàm religioni, pietati, iustitiæ, Christo denique constitutum sine vllo competitore regnum. Hæc tibi quanta contentione corporis animíque; curis, ac vigiliis quantis constiterint; dum eodem tempore intenta in omnes partes imperij, publicæque rei tua mens esset, etsi est coniectura difficilis, vtcumque tamen de se quisque cognoscet, ac diuinum robur animi tui faciliùs æstimabit, qui suas in vna sæpè domo gubernanda molestias recordari voluerit. Habes verò grauissimum eorum testem, & arbitrum, cuius secundùm Deum, ista omnia caussa suscepisti, Christianissimum regem: qui non semel publicis litteris immortali te præconio commendauit; dum se in conficiendis iis rebus, consortem gloriosissimi laboris habuisse te dixit; valdéque tuam in cunctis operam, assiduitatem, industriam probatam sibi, ac necessariam fuisse. Idem posteà conflato in Italia difficillimo bello, in quo Francici nominis dignitas, & sociorum salus agebatur, ac de nostra fide regnorum omnium, & populorum existimatio, parem te moli tantæ sustinendæ putauit esse; & eò te summa cum rei militaris potestate, atque amplissimo imperio proficisci voluit. Nec illius expectationem res ibi gestæ à te fefellerunt. Idem, qui superioris belli, successus expeditionis huius fuit. Patefactæ nostris exercitibus Alpes, quarum aditum natura primum; tum hostis armis, ac præsidiis intercluserat. Capta primo impetu nostrorum Italiæ claustra; confirmati sociorum animi; hostilis

ab eorum mœnibus repressus furor; siue pristinæ in Italia recuperandæ possessionis spes facta nostris; siue, quod Ludouico regi, ac tibi omnibus victoriæ præmiis antiquius est, redintegrandæ pacis, & concordiæ, quam si, vt speramus, & communi omnes voto petimus, per te nobis Deus aliquando concesserit; eius tibi, post regem, adeptæ gloria, cùm multò erit ad immortalitatem nominis illustrior: tum propensiore Christiani orbis studio, ac voluntate tribuetur. In his curis ac cogitationibus defixus, si nihil tractares, nihil animo versares aliud, ac si rerum ceterarum, etiam doctrinarum quas habes carissimas memoriam seponeres: nihil non vsitatum faceres, nec abhorrens ab vsu vitáque communi. Sed non est ita Non enim quantalibet negotiorum aut magnitudine superatur inuicta vis animi tui; aut varietate, ac multitudine in immensum diffusa capacitas expletur. Itaque tum, cùm plurimæ te, grauissimæque rerum maximarum curæ distinent, liberam ac vacuæ similem ad alia mentem accommodas; præsertim quæ ad honestas artes, vel æquitatis, & virtutis officia referuntur. Quod ego sum admirabiliter expertus, cùm sub primos armorum strepitus, & in ortu ipso ciuilium turbinum, ac solicitudinum tuarum, opus meum de doctrina temporum nomini tuo inscripsi, ac coràm obtuli Nam non solùm interpellari te passus es; quod ægrè in tantis occupationibus permitti solet: sed etiam benignè, ac peramanter à me munus illud ac-

cepisti; & eum posteà librum, velut in summo otio, identidem legisti. Quo maiore fiducia modò cum reliquiis operis eiusdem, & auctario doctrinæ illius ad te reuertor; (ILLVSTRISSIME CARDINALIS) & hoc metu, ac verecundia minore, quàm tunc, facio: quòd adhuc nouâ & integrâ re, excusari fortasse nonnulla nostra vel temeritas, vel importunitas debuit: inchoatâ semel, & impulsâ, nulla iam à me, cur hoc recens tibi patrocinium deferam, requirenda ratio est. cùm si cuiuis, præter te, deferre instituissem, afferendæ ob hoc ipsum causæ fuerint, cur alteri potiùs, quàm tibi.

Atque, vnde mihi huius ad te sermonis ingressum cœperam ad illam cum cælo propinquitatem animorum reuertar, quam in tui similibus elucere potissimum docui; magnam inducor in spem, & vt opinor, verisimilem, plùs hoc nouum apud te gratiæ munus, quàm illud prius habiturum. Paulò quidem maiorem meretur argumenti vel dignitas, vel affinitas illa, quam dixi. Est enim pars eius maxima de cælo, & iis sideribus, quæ in cælo fixa voluuntur: de quibus certa Græcorum veterum opuscula selegi; vt Hipparchi, qui antistes illius artis, cognationem cum cælo animorum nostrorum imprimis asseruit, vt ex Plinio suprà demonstrauimus; vt Gemini præstantissimi, ac politissimi scriptoris; vt Ptolemæi, vt Achillis Tatij, cæterorúmque, quos vel nondum æditos, vel græcè nunc pri-

mùm, latinéque diſputantes huic libro mandauimus. His accedunt variarum diſſertationum commentarij : in quibus partim de eâdem cæleſti ſcientia quædam ſcitu digna promuntur : partim ſuperiorum doctrina librorum illuſtratur, ac defenditur. Nam fuit vno tempore tibi contra Eccleſiæ, ac regni huius hoſtes; mihi contra veritatis oppugnatores imperitos homines propoſita dimicatio. In qua non ſolùm arbitrum te, ſed fautorem etiam, ac patronum confido fore. Si quidem, vt ex eo, quod prius nomini conſecratum eſt tuo, obligatum tibi, velut pignore quodam hoc illius conſectarium opus tenetur : ſic eo ipſo, quod libenter, benignéque prius admiſiſti; poſteriori huic oppigneratam humanitatem tuam iure mihi quodam meo polliceor. Vale. Lutet. Pariſ. CIƆ. IƆC. XXX.

EPISTOLA XIII.

ARMANDO CARDINALI de Richelieu.

Nuncupatoria Diſſertationum Eccleſiaſticarum.

DVM tu regni totius adminiſtrandis negotiis : ac tum bello perdomandis hoſtibus; tum proferendis imperij finibus, Chriſtianiſſi-

mo Regi, Gallicóque nomini necessariam, & gloriosam nauas operam, EMINENTISSIME CARDINALIS, erunt forte, quibus ego te alieno tempore; ac nimis parua de re interpellare videar. Sed illi solùm ita suspicabuntur, qui te nondum perspectum satis habent; aut huius, quod à me tibi offertur, æstimatores boni, propter inscitiam, esse nequeunt. Nam imprimis, quibus vsu aliquo cognitus es, cùm cetera, quæ in te rara vident, & eximia, mirantur: tum illam verò incredibilem, ac per omnia pertinentem ingenij vim: quam nulla quantacumque vel rerum magnitudo superat, vel multitudo confundit: sed sic infra se, & in potestate habet vniuersas, vti singulis sufficiat, quamlibet minutis: neque maiorum procuratio, minorum curam, cogitationémque restinguat.

Laus est ista magnarum mentium, ac virorum propria principum, quos hominibus regendis, imperiísque moderandis diuina ex æterno sapientia destinauit: quorum in animis imitationem illam sui, ac similitudinem expressit. *Omnes enim* (vt in primo de Prouidentia rectè dictum est à Saluiano) *etiam religionis expertes, & quadam necessitate compulsi, & sentiri omnia à Deo, & moueri, & regi dixerunt: qui & sentiat omnia per subtilitatem, & moueat per fortitudinem, & regat per potestatem, & custodiat per benignitatem.* Hæc quanta sit in te omnium capacis, ac per cuncta diffusi virtus animi, tot illa, tantáque per te publicè ac priua-

tim & solerter excogitata, & sapienter prouisa, & consilio explicata, & feliciter confecta testantur. Quæ quidem nos dum quotidie cernimus, facilè oculis ipsis fidem habemus: posteri autem cùm in annalibus legent, multorum operâ, & industriâ, integro sæculo geri potuisse vix: ab vno verò paucis annis designata perfectáque esse profectò non credent. Quamobrem nihil est, quod eo nomine cunctari me oporteat, aut cuiusquam reprehensionem vereri: tanquam hæc mea compellatio publicis ab negotiis, & cogitatis te tuis auocarit.

Illud porro alterum; ne adeundi tui causa sit leuior, miniméque te digna; multo etiam formidandum est minus: nec nisi ab imperitis, vt dixi, iudicari sic potest. Etenim vel hoc ipsum conciliandæ bonitati tuæ fuerat satis; quod vniuersè de litteris, ac doctrinis tecum ageretur: quarum ad singularem vsum, ac scientiam, incredibilem etiam amorem adiunxisti, adeóque constantem, vt in assiduis grauissimísque tuis occupationibus, illarum interponas studia. Nunc illud prꝛterea versatur in medio disciplinarum genus, cui tu præ ceteris addictus es, diuinarum & sacrarum: quas nemo indignas excellenti tua amplitudine, nisi eius ipsius odio dignissimus, putet. Plura de hoc, disputando prosequi, ac meam adeò causam perorare vehementiùs licebat; si id necesse foret, aut non eius, quem nomini inscripsi tuo, breuitas libri, longiore vti præfatione prohiberet.

Quod igitur ſummatim ac paucis de hoc argumento complecti poſſum, id ſic eſt. Mihi dum tu (CARDINALIS EMINENTISSIME) contra regni huius hoſtes fortiter bellum geris, aduerſus hoſtem Catholici oppugnatorémque nominis certamen iſto in libro ſuſcipitur. In quo primùm Epiſcoporum tuenda poteſtas, ac dignitas fuit; quam ille ſcripto peſtilente, ac nouo, & inaudito commento violauit. Tum varia Eccleſiæ propugnanda dogmata: quorum eleuare fidem, ac labefactare calumniis ſuis idem eſt ille conatus. Huius itaque te mei communem in cauſam officij, operæque fautorem, ac controuerſiæ arbitrum delegi. Non enim digniorem, aut idoneum magis optare potui. Primum qui & Epiſcopus ipſe ſis, & huius ordinis princeps: deinde qui eius, vnde lis iſta naſcitur, hoc eſt Theologicarum, Catholicarúmque rerum apprimè ſis peritus. ac demum is hodie viuas, cuius in tutela & auctoritate tum ille ipſe ampliſſimorum ordo Præſulum; tum Eccleſiæ hoc in regno Catholicæ ſalus ac ſplendor acquieſcit.

Quocirca ſpero equidem quæ mihi nuncupandi tibi huius Operis cauſſæ iuſtiſſimæ, ac neceſſariæ fuerunt, eaſdem ad hoc apud te valituras eſſe, vt & audaciæ ignoſcas meæ, & illud delatum tibi patrocinium non æquo ſolùm; ſed etiam prolixo ac beneuolo animo recipias. Vale. Lutet. Pariſ. CIƆ.IƆC.XLI.

EPISTOLA XIV.

LVDOVICO BORBONIO tum Enguiennenſium Duci nunc Principi Condæo.

Nuncupatoria Rationarij temporum.

SI ipſæ per ſe loqui artes, diſciplinæque poſſent (ILLVSTRISSIME PRINCEPS) magnas profectò tibi, ac tuo parenti, ſummo viro, gratias agerent: nec minùs ſibi de hoc honore gratularentur, quem ſunt ad hanc diem maximum veſtro de ſe iudicio conſecutæ.

Eſt enim hoc, quanti vos illas feceritis, illuſtre teſtimonium; quòd amplitudinis vterque tantæ, ille te in earum ſinu, ac gremio educari voluerit: tu earumdem conuictu, & contubernio poſteriores aulæ delitias, & amœnitates duxeris. Hoc eſt, inquam, prorſus amplum litteris noſtris, & magnificum; regia te ſtirpe puerum, & indole ſic illis tractandis aſſueſcere, non vt earum magiſtros ad te domum euoces; aut oblectamenti, & acroamatis adhibeas loco: ſed vt ad illorum ædes vltrò accedas ipſe quotidie: neque in ſcholarum officiis obeundis proprium tibi quicquam præter ceteros aſſumas. Quare cùm ſempiternum vobis nomen, ac famam vterque comparatis; tum

exemplum huic, & sequenti ætati statuitis, quanto illas in pretio haberi deinceps oporteat. vt id ex opinione euellatur hominum, quod plerisque ordinis illius vel palàm, vel vsu tacito ac iudicio persuasum videtur: vt quisque summo loco natus est, ita minimum cum otiosis illis, & inertibus studiis habere commercij. Quòd si quis iactare audebit in posterum; non Alexandri M. non Caroli nostratis; non reliquorum, quos ex antiquitatis memoria proferre solemus: sed recentiore isto tuo, & illustrissimi parentis tui facto refellitur. Hoc igitur, vt dixi, nomine quàm-maximas se ambobus vobis gratias debere litteræ profiterentur, si vti sermone possent: tum qui hoc possunt, fautores illarum, & amantes, prolixè, ac cumulatè facient: & huius commendationem laudis adiungent ad ceteras, quarum segetem, ac materiam olim in illustrissimo parente tuo confectam habent: in te verò nihilo minorem, & his, quæ præ te fers, generis, naturæque bonis consentaneam fore confidunt. Quam de te conceptam omnium opinione spem ratam exploratámque reddunt tot illa præstantium, quæ vel id ætatis habes, indicia virtutum. Est omninò diuinum nescio quid in vobis principibus; & communi captu altior indoles; quæ vos secernit à vulgo; & ad hominum imperia, magnásque res, & arduas capessendas natos esse demonstrat. Atque vt in apum genere signa quædam regibus indita sunt, quibus facilè dignoscuntur ab reliquis: aut vt

Spartorum posteri lancea; eburneo humero Pelopidæ; Seleucidæ ancora; naturalibus aliis alij notis insignes erant: sic esse solet eximium aliquid in magnis viris; quos supra sortem aliorum non tam conditio generis, quàm omnia gubernantis, ac suum cuique describentis ordinem Dei voluntas extollit.

Eiusmodi in te esse illa didicimus: primum acre, & excellens ingenium; cuius est ad omnes capiendas artes tanta celeritas, vt vndecimo iam ætatis anno primas in Eloquentiæ schola eruditionis industriæque teneas: animus item honestæ laudis, ac gloriæ incitatus stimulis: crebra cum aduersario de doctrinarum genere omni certamina; neque certaminibus rariores palmæ, ac victoriæ. dum tu quidem æquales inter, omnium rerum, quibus ornari ætas ista solet, principatum obtines; &, siue parentis hortatu; siue tuapte sponte id assequeris, quod cuidam in militiam profecturo principi suus apud Homerum pater præcepisse legitur,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

vt vmbratili hac, & ludicra dimicatione præludas iis triumphis puer, quos matura pòst ætate iustis ex hostibus, præliísque reportabis. His, quæ splendidiora videntur vulgò, multo accedunt illa potiora; flos quidam integritatis, ac nitor, nullis vitiorum maculis oblitus: docilis natura, & ad fingentis arbitrium tenera, & flexibilis: tum candidi mores, & amabiles; atque aduersus omnes, etiam infimos, summa

lenitas, affabilitásque ſermonis: Christianæ denique, ſine fuco, pietatis diligens amor, & cultus. Hæc, & eiuſdemmodi cetera, magna per ſeſe, tamen in te nonniſi ſemina ſunt, & initia, quibus ad dignum principe decus tuus ſenſim adoleſcit & perficitur animus.

Sed ego laudum hîc tuarum præconium non decreui facere. Id opus cùm erit, primùm vniuerſos, quod dicere cœperam, eò conſpirare, nitíque ſimul oportebit, qui doctrinarum perſequuntur ſtudia: tum ſocietatem noſtram neceſſe erit ex omnibus; cuius inſtitutioni tuus te nunquam ſine laude nominandus pater addixit. Quod cùm ageret, vnà præclarum obſidem, ac pignus dabat ſingularis de ea exiſtimationis, ac voluntatis ſuæ; & illius in te viciſſim obligabat fidem, vt quibus poſſet rationibus cùm amplificandæ gloriæ tuæ, tum iuuandis, ac prouocandis ſtudiis tuis incumberet. Ego itaque, qui, quòd & ex illa ſocietate ſum, & ingenuis delector artibus, vtriuſque lege officij teneri me ſentio, eo ipſo defungendum mihi hoc tibi inſcribendo opere ſtatui: in quod hiſtoriam omnem ab orbis initio ad ætatis noſtræ tempora, quanta potui breuitate, diligentiáque contuli. Sic enim commodare primùm me putaui poſſe ſtudiis tuis: quorum præcipua pars in hiſtoriæ, & antiquitatis ſita eſt ſcientia. Hanc verò non decoram ſolùm principibus, ſed etiam perutilem eſſe, iure perhibent ſapientes viri; ſiue quòd ciuilis ex illa prudentiæ diſciplina petitur; dum ex alienis

exemplis, & casibus, quid in suis, vel communibus gerendis rebus tenendum, vitandúmque sit, addiscunt homines, nullo suo labore, ac periculo: siue ex tam assidua rerum humanarum, fortunæque, quam illîc legunt, vicissitudine, & imperiorum, ac ciuitatum occasu, parui ista facere consuescunt, & in iis tuendis, aut appetendis modum adhibere cupiditatibus suis; atque ad solidæ, constantísque gloriæ fructum, qui ex vna virtute, & pietate càpitur, consilia sua transferre. Hunc vsum historiæ legendæ vel esse præstantissimum, non semel admonet grauis imprimis auctor Otho Frisingensis, præsertim his verbis, quæ in secundi libri fine posuit: *Hæc omnia*, inquit, *nutantium rerum mala (vt ita dixerim) quotidianæ mortalium mortes, ad veram, ac permanentem æternitatis vitam nos mittere deberent.* Eiusmodi tu morum, vitæque fructum, non solùm vtiliùs; sed etiam, quæ tua est ingenij bonitas, iucundiùs, quàm illum scientiæ, cognitionísque, cuius est vehemens imprimis amor in pueris, ex hoc nostro libro colliges. Atque hinc postremò, de duobus illis erga te officiis, quæ mihi cum vniuersa societate proposita debere esse dixi, consequens fiet alterum; vt, si priuatis adhuc nullis tuis, illustrissimi certè tui parentis in me meritis; tum in nostram societatem vtriusque communibus, debitum à me vicissim honorem, & cultum hac qualicumque nominis tui commendatione persoluam. Vale. Lutetiæ Parisiorum CIↃ. IↃC. XXXII.

EPI-

EPISTOLA XV.

PETRO SEGVIERIO Franciæ Cancellario.

Nuncupatoria Diatribæ de potestate consecrandi, & de communione vsurpanda.

VETVS in Ecclesia mos fuit (VIR ILLVSTRISSIME) vt Episcoporum Conciliis, tractandísque fidei rebus adhiberentur laici ordinis principes viri; non qui controuersiæ disceptatores, sed qui pacis inter partes conciliatores essent: ne quid indecorè, ac præter ordinem ageretur. Sic in prima omnium Oecumenica synodo Constantinus M. Imperator: in quarta, Marcianus, & Pulcheria: in sexta, Constantinus Pogonatus, Augusti omnes; vt recentiores alias taceam: in plerisque magistratus, & Comites adfuisse leguntur. Ego verò in hac, quam institui, fidei disputatione, tibi ciuilis iuris, administrationísque principi, etiam iudicis, arbitríque partes; nedum moderatoris ac pacificatoris vltrò defero. Quas equidem ambas non minùs iis in altercationibus, quæ stilo priuatim; quàm quæ voce publicè exercentur, necessarias iudico.

Nam & apud idoneum propositæ rei æstimatorem propugnanda caussa veritatis est: & ad hoc ipsum auctoritate est opus; quæ iræ, peruicaciæque modum statuat: ne ab vtili, ac modesta concertatione, res ad rixas, & contumelias vocetur. Ac quod vniuersè dixit apud Sallustium Cæsar; *Omneis homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, & odio vacuos esse debere.* tum, *haud facilè animum verum prouidere, vbi illa officiunt*; id in illo genere disputationum, quod ad religionem pertinet, haud paulò quàm in ceteris est verius. Declarat hoc præclara illa B. Hilarij sententia in decimo libro de Trinitate: vbi sic scribit: *Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia; & indeflexo motu aduersandi studium persistit, vbi non rationi voluntas subiicitur, nec studium doctrinæ impenditur; sed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, & iis, quæ studemus, doctrinam comparamus. Idmque nominis potiùs, quàm naturæ erit doctrina, quæ fingitur: & non iam veri manebit ratio, sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptauit.*

Sallust. in Bello Catilin.

Quamobrem dum in hoc certamine nostro duas illas, quas dixi, opportunitates persequor, tu mihi ex omnibus occurristi, in quo totidem illa necessaria præsidia summè inesse videbantur. Primùm dignitas, & auctoritas ea est in te, quæ impetum animi potest, & ardorem vel tacita continere. Accedit ad diiudicandi solertiam præstans diuinarum rerum, ac Theologiæ cognitio: quam ego famâ priùs acceptam, vsu

postea, & colloquio, quod tecum iis de rebus habui, maiorem opinione mea comperi. Memini enim aliquando me priuato in congressu, sermoni cuidam tuo interesse, qui de abstrusissimis media ex Theologia quæstionibus cum viris doctis habebatur: ac tum ea te partim ponere in percontando; partim exponere, ac respondere, quæ nihil in iis nouum esse tibi, nihil inauditum, aut ignotum ostenderent. Ac mihi sic in illa tota sermocinatione versari videbare, vt subtilitate differendi, & acumine nihilo iis inferior esses, qui ætatem omnem his in doctrinis contriuerant: explicandi verò perspicuitate, ac facilitate, longè omnibus antecelleres. Quocircà meliorem susceptæ hîc à me controuersiæ iudicem, quatenus neque intelligẽtiorem, neque grauiorem, quàm tu es, optare potui neminem. Nam æquitati, quæ haud minus in iudicando, quàm superiora illa, locum habet, planè confido tuæ: qui supremam hoc in regno, iuris, æquíque dispensationem non magis officio, quàm animi integritate, probitatéque sustines. Quæ iam olim nota, & perspecta, antequam in summum illud dignitatis culmen ascenderes; multò, postquam eò prouectus es, expressioribus documentis enituit.

Superest vt & caussa ipsa digna sit, quæ ad tuam cognitionem deducatur (non enim paruis de rebus tanta interpellanda est auctoritas) & non iniucundus ego in te adeundo, importunúsque sim. Sed in alterutro cunctari, id es-

ſet prudentiæ tuæ, aut bonitati diffidere. Res primùm agitur hîc omnium maxima, & grauiſſima; in qua non vnum aliquod, & ſeparatum fidei caput vertitur: ſed tota ipſa, quanta eſt, Chriſtiana pietas, ac religio: Chriſtianum, inquam, nomen omne continetur. Non enim ambigi debet, quin ſi verum illud eſt, quod iſta, quam oppugnamus, Diſſertatio tuetur; hoc eſt, ſi ſacerdotali fideles omnes, etiam profani, iure, ac conſecrandi poteſtate ſunt præditi; Chriſtiana, & Catholica prorſus
Rom. 12. & 1. Cor. 12. Eccleſia labefactata concidat. Quæ cùm humano corpori ſimillima ſit; vt non vno Apoſtolus in loco prædicat; vti prius illud abſque membrorum ac facultatum varietate; ſic iſta, ſublatâ ordinum, functionúmque diſtinctione, iam non ſolùm deformis eſt, ac fœda, ſed nulla. Siquidem *corpus non eſt vnum membrum,*
1. Cor. 12. *ſed multa.* (ait Apoſtolus) &, *Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus?* Miſſa hoc loco facio flagitia cetera Diſſertationis eiuſdem, quæ te malo in noſtra confutatione legere. In qua preſſiùs fortaſſe, quàm pro tanti argumenti merito, atque copia, de eo ſermonem feci. Sed habenda ratio fuit tum occupationum tuarum; quæ vt *ſacræ* iuſtiùs, quàm illæ Tiberij,
Sueton. in Tib. c. 27. appellari merentur; ſic eas longiore diſtinere mora, contra ſacra peccare eſt, adeóque pæne eſſe ſacrilegum: tum verò prudentiæ, ac præclaræ, vt ſuprà memini, iis in ſtudiis eruditionis tuæ: quæ non plura ad rem penitus intelligendam: acne iſta quidem pauca deſiderat.

Iam quod alterum est, ac mea potissimùm interest, quo sis animo meam hanc in appellando te fiduciam accepturus; tam verendum non est; quàm nec mihi de tua in me, ac litterarum studiosos omnes humanitate: nec tibi de mea in te, cuius istud specimen extare volui, obseruantia & voluntate dubitandum. Vale. Lut. Paris. x. Cal. Ian. CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA XVI.

ISACIO HABERTO Episcopo Vabrensi.

Nuncupatoria operis de lege & gratia.

NVNQVAM anteà fore putaueram (ILLVSTRISSIME PRÆSVL) vt pro tuenda Mosaïca lege contra criminatores illius litteram vllam facerem. Non enim proditurum rebar his temporibus quempiam, qui hanc opinionis labem conciperet animo: multo verò minùs, qui eam scriptis auderet attingere. Quòd si vereri hoc in mentem mihi venisset, haud equidem emersurum ex Ecclesiæ sinu tale portentum arbitrarer: sed ex illa fæce Manichæorum, & similium pestium; quarum hodie vel nullæ, vel exiguæ admodum reliquiæ su-

persunt. Nunc quoniam ita casus tulit, siuè potiùs offensi criminibus nostris Numinis indignatio, vt id gementibus bonis omnibus eueniret: ego neque laboranti Ecclesiæ pro virili parte deesse volui; & te, cuius hoc auspiciis capessetem potissimùm delegi. Quod cur instituerim, etsi argumentari nihil hîc cuiusquam interest, caussas tamen afferre possum maximas, & iustissimas. Imprimis excellentem cùm in doctrinis ceteris; tum in hac, vnde controuersia ista nata est, vsum, ac peritiam. Cuius rei indicio sunt, præter magisterij, quem priuatus adeptus es, theologici gradum; tua illa præstantissimi ingenij monimenta; quibus immortale apud eruditos nominis tibi decus; Ecclesiæ singularem opem, ac præsidium comparasti. Accedit par doctrinæ magnitudini laus & commendatio virtutum: per quas Ecclesiastico dignas homine tua sic omnis anteacta decurrit ætas, vt eius integritatem nulla, ne falsæ quidem, nedum dubiæ suspicionis aura perstrinxerit. Quibus sanè meritis: & honestarum rerum studiis expolitum, & excultum diuina te prouidentia ad principatum ordinis illius euexit: vt quæ in te animi decora, & ornamenta congesserat, ea manarent latiùs; ac se, tanquam ex eminenti loco communem ad salutem dilapsa, vsu, exemplóque diffunderent. His tertius adiungatur licet, & ad huius quidem illecebram officij præpotens, priuatus in me tuus, ac meus in te vicissim amor, earum-

dem communione artium conciliatus ac deuinctus; cuius publicè extare testimonium aliquod optaui. Verùm nulla me tam ex omnibus, vt hanc nomini tuo lucubrationem dicarem, ratio perpulit, quàm quòd in eâdem te iactatum esse contentione memineram; & contra eosdem aduersarios non minùs strenuè, quàm gloriosè dimicasse. Cùm tu quidem nondum ad infulas vocatus, & Parisiensis adhuc Ecclesiæ Theologus; sed iam famâ vbique notus; tum celeberrimis concionibus, tum refertis omni doctrinarum copia, & grauitate libris grassantem opinionis nouæ licentiam retunderes. Quo ex tuo facto illa te merces ab improbis est consequuta, quæ eiusmodi, qualis tu es, ab hominum genere isto proponitur; vt ab Ecclesiæ pernicie per te depulsus illorum furor, in te ipsum redundaret. Extiterunt enim ab eo tempore libri ab illis editi complures impuri, ac maledici: quibus & se pristini in erroris obfirmarunt insaniâ, & in te contumeliosè, ac petulanter inuecti sunt. Nam de me, quem tecum allatrarunt, leuior est querela; cui quidem gloriandum etiam est, vti caussa tibi coniunctus fueram, sic iniuriæ, tolerantiæque consortem fieri.

Horum librorum vnus est, quem isti secundum Apologeticum inscripserunt Iprensis Augustini, in quo iracundiæ, ac maledicentiæ suæ vela pleniùs explicarunt: &

nominatim infanda illa contra veterem legem; quæ à te præsertim, sed & à me ipso notata erant & conuicta; maiore fiducia resumpserunt. Quamobrem cùm hæc ab illis instaurata in auctorem legis Deum contumelia ferri vltrà non posset; atque ad illius propugnationem omninò aggredi decreuissem; selegi ex Apologetico isto capita quædam ad propositum mihi argumentum spectantia, quæ refellerem. Ex quibus confectam hanc disputationem aliquanto apud me tempore continui: experiri volens, ecquid interquiescentibus nobis tacere possent, ac flatus remitterent: cùm quidem intelligerem, perinde atque ferrum attritu cotis acuitur, aut flatu ventilatus ignis accrescit; ita confligendi perpetuitate, litis, & rixæ cupidos homines implacabiles reddi.

Sed cùm me spes ista mea fefellisset, ac frequentes ab illis spargi libros interim animaduerterem, quibus dogmatis sui particulam semper aliquam vendibiliorem facerent, haud ampliùs cunctandum putaui, quin ea proferrem, quæ reposita, & parata iam habebam. Ad id verò præcipuè me insulsi, & illepidi scriptoris indignitas excitauit: qui longiore, vt apparet, impunitate confidentior factus, irrumpere est ausus in medium; & sectæ communis iniuriam, odio, ac pestilentia libri cuiusdam nuper est vltus; quem sub ementito Vincentij Lenis

nomine diuulgauit : vt non tam ad ſectæ labantis ruinas fulciendas ; quàm ad ſæculi huius infelicitatem nobilitandam iſte cumulus accederet. Ab hac ergo velitatione recens, & in procinctu adhuc poſitus (ſiquidem & iſte frangendus, ac leui certamine conficiendus obiter fuit) verti me ad eam, quam dixi, contra Armacanos accurandam diſſertationem de Lege Moſaïca, & gratia. Quod opus anteà tibi & amico, & Doctori Theologo deſtinatum, nunc etiam Epiſcopo nuncupaui. Tu hoc verò, qualecumque eſt oblatum tibi munus vel vt amicus (nam & in eo perſeuerare te ſcio) propenſo ac beneuolo animo capies : vel, vt Theologorum arbiter & magiſter, de eo (quod nec ipſe recuſo) iudicium feres : vel vt Epiſcopus, idipſum meæ in te perpetuæ, ac ſingularis obſeruantiæ monimentum, & pignus, æqui, boníque conſules. Vale. Lutetiæ Pariſiorum CIↃ. IↃC. XLVIII.



EPISTOLA XVII.

AMICO CVIDAM.

Nuncupatoria Dissertationis Prioris de Concilij Tridentini interpretatione, & S. Augustini doctrina.

SCIRE vis (AMICORVM OPTIME) quid de illa epistola iudicem, quam nuper ad me misisti ab Abbate ad Episcopum inscriptam. Respondebo tibi nihil admodum hæsitans. Rem enim postulas non leuiter apud me tractatam: sed attentè meditatam, atque perspectam. Quod vt impigrè facerem, non tua me tantùm voluntas est hortata, quâ plurimùm moueor: sed meum quoque studium suâ incitatum sponte, fecit ardentius Præfatio ad Lectorem in epistolæ fronte præfixa: quæ Abbatem epistolæ scriptorem ad virtutis, ingenij, iudicij, eruditionis opinionem commendauit, quantam maximam capere mortalis conditio potest. Siquidem virum esse testatur *extraordinarij cuiusdam pretij: cuius profundam, ac diffusam eruditionem; sublime ingenium; magnum & perspicax iudicium, non solùm Gallia, & quidquid inibi est præclarorum hominum agnoscit: sed etiam Romana iampridem Curia cum Vrbano VIII. Summo Pontifice suspexit.*

Præf. ad lect. p. 4.

Quod autem ad eam rerum diuinarum scientiam attinet, quæ in contemplanda, explicandáque gratiâ versatur, tantum illi cælestis luminis ad eam intelligendam tribuit; quantum cuiuis hodie alteri est tota in Ecclesia concessum. Cuius itaque tot ingenij ornamenta venditari, doctrinæque insignia videbam, horum gustum, & experimentum capere illo in libro cupiebam; quem vsqueadeò laudatrix illa Præfatio extulit, vt non minùs id egisse videatur, auctorem vt ex libro, quàm librum ex auctore clarum, & nobilitatum redderet. Totum igitur me ad legendum illum librum contuli: &, quod perinde tu me, ac Præfatio Lectores admonebat, otiosè contemplatus sum vnamquamque partem. Non erit tibi, opinor ingratum: immo quod vltrò à me repetis, & cuius gratia illud legendi à te mihi onus iniunctum est, exequar; si summam cogitationum mearum hîc tibi sincerè, ac breuiter exponam. *Ibid. p. 1.*

Mea de Nouis Dogmatistis hæc semper opinio fuit, ex quo in Ecclesiæ perniciem ebullire cœperunt, nullam penes ipsos vim iudicij; nullum ingenij robur & acumen; nullum reconditioris vsum doctrinæ, ac facultatem residêre. solam illis non negabam sermonis in scribendo patrij expeditam, ac profluentem celeritatem: quod & vnicum præstare ipsos cupere in tanta crebritate librorum, qui quotidie sub manum iis nascuntur, animaduerteram. Quod si quis vel à naturâ tributum, vel studio, ac disciplinâ comparatum eiusmodi aliquid

haberet, eum, poſtquam ſe ad iſtam ſectam applicarat, eáque propinante, tanquam ex Circæo poculo, venena illa dogmatum ebiberat, totum illud effudiſſe paullatim, penitúſque perdidiſſe.

Hoc meum de illis iudicium, quorumdam ex eo grege conſuetudine experientiáque collectum nihil ſic confirmauit, vt recens illud anonymi Abbatis exemplum. Neque verò perſuadere tibi aliter poteris, ſi hoc cogites, itáque ratiocineris: Magnum fuiſſe Præfatio dicit in Abbate ingenium; magnum iudicium; tum omnem excellentis doctrinæ copiam; antequam Româ reuertiſſet in Galliam: hoc eſt cùm nondum animum appuliſſet ad Ianſenij dogma, cuius ne nomen quidem per id tempus erat auditum. Ecquis igitur Epiſtolam deinde legens, cùm nullum bonarum iſtarum rerum in illa veſtigium, ſed contraria potiùs omnia deprehenderit, non mihi ſtatim aſſentiatur; in huius Epiſtolæ ſcriptore, quæ olim inerant, animi eſſe ornamenta illa deſiiſſe? Mihi nemo temere fidem habeat iſtud aſſeueranti. Legat Epiſtolam, ac per ſe ipſe iudicium ferat. Obſeruet qua de re conſtitutum illi ſit agere: & hoc quemadmodum diſputet, atque argumentando conficiat: non dubito, quin leuiora eſſe, quæ dixi, quàm pro rei indignitate fateatur.

Duas in partes Epiſtolam eſſe diſtributam narrat Præfatio. In priore demonſtrandum id ſibi propoſuit Abbas; Tridentini de gratiâ de-

creta Concilij ex Auguſtini doctrina, ſi quid in illis exiſtit controuerſiæ, interpretari oportere. Ad hoc probandum quattuor adhibet firmamenta. quæ ſunt eiuſmodi, vt ad contrarium demonſtrandum, hoc eſt ex Tridentino Concilio explicandam Auguſtini eſſe doctrinam, non minùs ſuadeant: immo vtrumque multo magis è Scripturis explanandum adſtruant. Hic enim, exempli gratia, primus illi eſt argumentandi locus, quòd Tridentinum Concilium in exponendo gratiæ dogmate Auguſtini verbis ac ſententiis vtitur. Quid tum verò? Num ex eo conſequens eſt, quod ſibi probandum ſumpſerat, Auguſtinum interpretem aſciſcendum eſſe Tridentinorum canonum? Vana & futilis eſt iſta collectio. Nec meliores ſunt aliæ tres: & quod ex illis nectitur, non diſſimili ex rationis, communíſque ſenſus inopia redundat. Sed hæc vtcumque tolerari poſſent, niſi altera pars accederet, in qua fines omnes humani, & condonandi erroris exceſſit.

Verùm contineo me: nec Epiſtolæ vitia hîc inſector. Malo enim operam hanc reſeruare diſſertationi noſtræ; nec illa, quæ longiori diſputatione opus habent in anguſtum cogere, ac quodammodo præfocare. Tum hoc laboro, & enitor, vti famem tuam integram, nec iſtiuſmodi prægustatione compreſſam, & accisam ad eas dapes afferas, quas in libro tibi hoc apparare decreui. Quem tu librum ſi legere non grauaberis, &, quod magnopere abs

te postulo, cum epistolâ conferre: disces, quod & Abbatis refert cognoscere, non multum alienæ de tua laude prædicationi confidere, ac sicubi aliàs, hac potissimum in re valere hoc vafri illius Siculi:

Μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Tum multo magis istud laudabis sapientissimi
Prou. 27. 14. regum: *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.*

Sanè plerique omnes factionis istius venalem vt stilum, ita & præconium habent. Scribunt quodcumque iussi sunt magnis auctorati præmiis. Laudant eorum, à quibus conducti sunt, fautores, & amicos: alienos, & ab iis auersos canum instar allatrant: nec à Præsulibus, & principibus viris dentes suos continent; ne ab Romanis quidem Pontificibus ipsis; quorum auctoritatem, ac decreta rabidis ac sacrilegis morsibus lacerare non dubitant. Quo æquiore idem istud animo perpeti, ac minùs irasci conuenit obscurioris sortis homines, quamlibet probos, & eorum contumeliis indignos. Ita enim mos istorum habet. Displicet alicui gnauo, ac solerti viro nouitas istorum? statim famosis libellis illius nomen traducitur. Nemo istoc obtusior: nemo imperitus æquè; nemo reconditioris doctrinæ, & imprimis Augustinianæ magis expers. Idem si ab illorum emissariis, & illicibus inescatus hamum vorat, & ad eorum partes transfugit; repentè ingenij & iudicij primas obtinet, ac diuinarum rerum, & Augustini dogmatum interiori notitiâ om-

ñibus antecellit. Hos ludos, & hanc histrioniam exercent, qui quæstum ex illa sectâ instituerunt facere. Id quod D. Abbati homini non malitioso ab mercenariis istis euenisse suspicor. Nondum enim iis assentior, quos tibi narrare scribis, non alium Præfationis auctorem fuisse, quàm qui fuit Epistolæ; eiúsque rei coniecturam de stili similitudine capere. Ego verò, donec ea de re certiùs constiterit, malim ab altero quopiam scriptam esse Præfationem credere. Quem quidem caueat D. Abbas ne inter amicos ac beneuolos numeret. Neminem habet inimiciorem, peiúsque de se meritum, vno excepto se: vel hoc ipso, quod compilasse clanculum ait Abbatis eiusdem scrinia, & eo absente, ac nesciente in lucem protulisse illius Epistolam. Quo facto publicum ad contemptum doctorum, & ludibrium tam illustre nomen obiecit. Sed de his coràm, &, vt spero, breui inter nos agemus. Iam enim propediem ad vos cogito: velim iam à te perlectâ Dissertatione nostrâ, & cum Epistolâ comparatâ. Ita enim vtiliùs de ea controuersiâ sermonem inuicem conferemus. Vale, & me, vti facis, amare perge. Lut. Paris. cIↃ. IↃC. XLIX.



EPISTOLA XVIII.

LVDOVICO XIII. Regi Christianissimo.

Nuncupatoria theseon Philosophicarum, ex personâ LVDOVICI DE LA VALETTE.

QVÆ sunt artes tractandi imperij duæ (REX CHRISTIANISSIME) eæ mihi videntur ab Ægyptiis in Mercurij effigie consideratè admodum descriptæ. Hunc enim Deum, quo significari eum vnâ vellent, qui ad capessenda imperia foret appositus, non vt ceteros singulari aliqua forma, sed duplici iuuenis pariter, ac senis imagine pinxerunt. Quorum alter affecta iam ætate rerum vsum, ac sapientiam: alter verò iuuenili formâ, robur ac firmitatem declarat. Quòd ille demum perfectus sit animi status, ísque ad ceterorum gubernationem idoneus Princeps, quem vtriusque ornamenti par, ac consentiens dignitas commendat. In quo nullus eorum hominum errori locus relinquitur, qui præter generosam animi fortitudinem nihil præstandum adeò Principi putant; quíque ab eo sapientiæ studium, tanquam otiosum segregant: id quod non ma-

gis veritati ipsi, quàm hominum sapientissimorum iudicio repugnat. Itaque eò sanè feci libentiùs, vt tibi florentissimi regni Principi in hac nostra philosophica concertatione, velut quoddam sapientiæ patrocinium deferrem; neque id à Maiestate tua alienum arbitrarer, in qua ambo ista imperij ornamenta sic paullatim excitari, atque augescere videmus, vt Ægyptiam illam perfecti Principis imaginem non mortuam atque fictam, sed viuam animatámque circumferas. Etenim cùm ea sis ætate, quæ quotidianis incrementis virium accessione firmetur; eâ porro indole, ac virtute præditus, vt magnum in te HENRICVM parentem tuum viuum adhuc quodammodo ac spirantem intueamur: quis non in vtroque, te ac parente tuo, ambarum virtutum consortium agnoscat? Atque vtinam eam nobis effigiem, quæ vnam adhuc fortassis annorum maturitatem desideret, expolias in dies; & illustriorem efficias. Hoc mihi cum tibi subiectis omnibus populis, immo cum toto fermè terrarum orbe commune votum ac publicum est. Illud obseruantiæ erga te meæ priuatum ac præcipuum testimonium. De quo tibi commendando nihil ego sum magnopere sollicitus: est enim ex eo primum sapientiæ sacrario depromptum, quod & Augustus olim Pater tuus ad commune totius regni commodum erexit, & in quo Regij sui CORDIS domicilium constituit. Vt ex eo facto intelligeremus, quanta apud eum sapientiæ existimatio foret, qui etsi

bellica virtute præstaret ceteris, vnicam tamen sibi sapientiæ sedem optarit, cui Cor illud virtutum omnium arcem committeret. Deinde ab eo deriuatum est, qui tibi pæne ab ortu tuo, mancipio & vsu addictus fuit in singulos dies, quoad maximi parentis tui auctoritate in regium hunc sese ludum transferret. Iam cui potiùs repræsentari hunc ingenij mei fructum conuenit, quàm ei, qui vt omnino meum extare posset aliquid, operâ ipse suâ perfecerit? Cúmque is maiore omnium nescias mœrore, an calamitate præreptus sit, eius certè hoc debebatur & successori iuris, ac filio, & virtutis perinde ac in nos beneuolentiæ, & voluntatis heredi? Quamobrem (vt in dissoluendo hoc nomine summam breuiter subducam) accipies hoc qualecumque est, vt à sapientiæ studio, perhonorificum: vt à domestico olim tuo, iucundum: vt à Maiestati tuæ deuotissimo, officij plenum: vt à parentis tui debitore, tibi deuinctum penitus, & obstrictum.



EPISTOLA XIX.

PETRO IANNINO Regiæ Gazæ præfecto.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum ex perſona IOANNIS GAVLT.

PVDERET me (VIR AMPLISSIME) ad pueriles haſce pænéque ludicras exercitationes abuti ſplendore nominis tui, niſi id ſapientiſſimorum hominum Maiorum exemplo didiciſſem, ne ab ludorum quidem auctoritate ſummæ dignitatis amplitudinem abhorrere. Etenim illi non modò Deos ſibi ludorum ſpectaculis propitiandos putarunt, verùm etiam clariſſimorum hominum poſt obitum memoriam nullâ aliâ re magis, quàm eorumdem celebritate conſecrarunt. Sed erant ea tùm ferè ſpectacula cruentata hominum cæde & ſanguine, quòd iis rebus affici mortuorum manes atque expiari crederent. Nos verò cùm ſolemnium ludorum apparatu annuam Principis illius memoriam proſequamur, qui naturâ fuit ab omni cæde & crudelitate ſemper alieniſſimus, par eſt æquè moribus illius conſentaneos, hoc eſt, cruoris expertes ac pacificos

præberi. Apud quem quo in loco fueris, quantúmque gratiæ & auctoritatis habueris, ex iis ornamentis, eóque gradu intelligimus, quem illius voluntate maximum atque amplissimum es consecutus. Quantum verò in eum vicissim ac regnum vniuersum contuleris, vt vetera illa longè præclarissima taceam, quotidiana certè in eius coniugem ac filium & maxima & vtilissima officia testantur. Illius igitur te Principis curatorem ludorum veluti quorumdam ac moderatorem esse vehementer cupimus, vt ex tuo, quod ille magni semper fecit, nomine, gloriæ plurimum ac splendoris acquirant. Verùm satísne sapere videor, qui ludum exercitationem hanc sapientiæ ac præstantissimæ disciplinę specimen appellem? Sed nimirum vti si Achillis fraxinum puer aliquis, aut Pygmęus Herculis clauam arripiat, vt id seriò maximè faciant, ludere illos meritò tamen existimes; sic illa arcana exquisitissimarum artium atque dogmata cùm à me ventilantur homine imperito ac rudi, tametsi summo conatu id agatur, apud vos tamen sic tanquam pueriles impetus atque infantium ludicra censentur. Sed neque Agesilaum illum puduit, id ætatis ac grauitatis hominem, domi colludere cum puerulis videri; neque tu, quâ te in omnes facilitate atque humanitate esse comperi, alienum grauitate seueritatéque tuâ esse statues. Ego verò pro egregiis tuis in me meósque meritis atque officiis, quis meus vicissim esset sensus, quomodocumque testari malui, quàm impudentiæ ac teme-

ritatis suspicionem nimium vereri. Tu (quandoquidem ex euentis consilia ponderari solent) si ad meum hoc factum iudicium tuum & probationem adiunxeris, facies, rectè vt à me sapienter prouisum omnes existiment.

EPISTOLA XX.

CAROLO BELLOMANORIO, Cenomanorum Episcopo.

Nuncupatoria Theseon Philosophicarum ex persona CLAVDII BELLOMANORII *fratris.*

QVI nobilium atque illustrium virorum, iisdem quibus ego de causis, opem ac præsidium implorant (PRÆSVL AMPLISSIME) cùm temeritatem suam atque audaciam excusare vehementer solent, tum leuissimum istud ipsum quod offerunt, nec par illorum esse dignitati profitentur. Qua ex oratione hoc plerumque consequuntur, vt vel pudenter, ac parum ambitiosè fecisse, vel patronorum suorum auctoritatis & grauitatis rationem habuisse videantur. Ego verò qui te primi huius experimenti ducem mihi ac patronum asciuerim, vtrumuis illorum apud te præstare superuacuum existimo. Non enim di-

tinarum præstantissimarúmque artium, quarum hîc tibi specimen præbemus, pondus imminuere sine aliquo flagitio possum; neque porro eius quod à me modò fit, pœnitere me, aut aliter, quàm ita vti fit fieri oportere iudico. Nec ad illa tantùm necessitatis ac germanitatis iura respicio, quorum opportunitate ac fiducia parciùs tamen vti suadet tam excellentis quę est in te auctoritatis amplitudo: sed illud dico te mihi ad ea Philosophiæ studia auctorem atque hortatorem fuisse. Quare qui possum dubitare, quin cuius operæ mihi ac disciplinæ commendator extiteris, eius fructum aliquem atque indicium à me profectum, tibi oblatum sis gratissimum habiturus? Neque verò, quòd in eo sim genere rudis adhuc atque infans, nec exquisitum tibi aliquid aut serium afferre possim, eo minus fidem tuam ac præsidium appellare debui. Primùm enim neque aut ita de me arroganter sentio, vt me tam exiguo tempore difficillimis in artibus multum assequi debuisse, aut verò potuisse statuam; nec te tam inhumanum, aut imprudentem iudico, vt quatenus ab hoc vsu atque ea ætate postulandum sit, nequeas discernere. Deinde, vt de me aliquid etiam audaciùs prædicem, eo illud omne consilio susceptum est, vt me genere tibi ac communione sanguinis propinquum, etiam in hac imbecillitate mea, nequaquam degenerem esse confideres: vt quamuis nondum ad illum sapientiæ ac Philosophiæ Solem aspirare propiùs atque euolare possim, in illius tamen lucem ac splen-

dorem, à te præsertim adiutus ac sustentatus, quantumuis debilem atque infirmam oculorum aciem defigam. Quamobrem nihil est quod vltrà factum illud meum, quod tibi esse scio iucundissimum, probare magnopere contendam. Et hoc quod à me excusatum hactenus est, magis quia ita fieri solet, quàm quod necesse fuerit, velim à me putes esse factum. Deus te cùm mihi, tum Ecclesiæ tuæ quamdiutissimè saluum & incolumem conseruet. Vale.

EPISTOLA XXI.

ANTONIO SEGVIERIO Senatus Parisiensis Præsidi.

Nuncupatoria Theseon Philosophicarum, ex persona DOMINICI SEGVIERII *nepotis.*

QVOD te in ponendo Sapientiæ tirocinio abuti præsertim auctore ac patrono voluerim (PRÆSES AMPLISSIME) tantum abest mihi vt excusandum magnopere sit, vt si cuiuis id ex omnibus præter te vnum deferrem, quærendæ mihi ob hoc ipsum causæ fuerint, cur alteri potiùs quàm tibi. Nam cùm post parentis mei obitum omnibus id erga me

officiis egeris, vt parentis mihi loco esses, eiúsque tibi personam ac studium imponeres, omnia, quæ quidem ei à me debebantur, æquum est in te vnum vicissim transferri. Quare quod illi, si viueret, longè accideret suauissimum, vt aliquem de iisce meis litteris, atque expectatione sua caperet fructum, idem non vereor, vt ei quoque, qui eius mihi instar sit, gratissimum eueniat. Tibi quidem certè; quem non solùm artes illæ delectant, quæ sunt in sapientiæ magisterio ac disciplina positæ. sed qui earum vim, atque vsum non priuato modo vitæ instituto, sed maximis reipublicæ partibus tractandis diligenter expresseris. Vt quod nos contemplando ac disputando ægrè admodum assequimur, vt studiosi sapientiæ dicamur, id tu agendo potissimum obtinueris, vt sapiens & sis, & esse ab omnibus existimeris. Quanquam non tam ex rerum administratione tibi sapientiam quæsisse, quàm ad illam ipsam attulisse iam insitam; atque innatam videris. Etenim illa tua Vrbana Prætura, quod tu initium attingendæ reipublicæ fecisti, habuit non tironis probabilem sedulitatem & operam, sed veterani & exercitatissimi solertiam atque industriam. De qua ita omnes statuunt: in ea reliquis omnibus, Magistratus illius gerendi normam ac disciplinam fuisse præscriptam. In illa verò deinceps Regia, vti vocant, Aduocatione sustinenda, par & eadem commendatio egregij animi, ac sapientis fuit. Quem tu (hoc vno dissimilis tui quod melior &

præſtantior in dies) longè maximâ acceſſione cumulaſti, cùm in tranſalpinis regionibus diuturnâ ac perhonorifica legatione functus es. Atque eius quidem mandato principis, cui ipſum probare ſe poſſe cùm virtutum ceterarum erat, tum prudentiæ certè ac ſapientiæ firmum imprimis ac graue teſtimonium. Sed hic quanti poſtremò te faceret, in mandando ſubinde ampliſſimo honore teſtatus eſt. Etſi non tam id ornandi tui cauſa fecit, quàm vt, quod reliquis abs te in muneribus perfectum viderat, ei dignitati multum de tuis ornamentis ponderis atque amplitudinis accreſceret. Puderet me iſta de te, quæ cum aliquo meo ſplendore coniuncta ſunt, apud te præſertim dicere, niſi adeo peruagata eadem, atque illuſtria forent, vt non tam ambitionis mihi crimen metuendum ſit, quod ea de te prædicauerim, quàm imperitiæ deprecandum, quod vſque eo leuiter ac negligenter attigerim. Verùm omnis illa, vt antè dixi, oratio eò pertinuit, mei vt apud te decreti, ac conſilij ratio extaret, neque eius auctoritatem rei defugeres, quæ tam coniuncta tibi, támque apta moribus tuis, ac conſentanea videretur. Nam cetera illa quæ ab aliis ſtudiosè ſanè commemorari ſolent, miſſa facio, propinquitatis, & neceſſitudinis iura. Quæ tum à me fortaſſe proferentur, cùm nonnulli meæ hac in parte audaciæ ſeueriòr aliquis Senatoriam illam auctoritatem, ac grauitatem opponet, Tu enim mihi vt eam obiicias, quæ tua mihi cognita facilitas, atque humanitas

eſt, equidem nihil metuo. Quem etiam propterea mihi incolumem diu, ac ſuperſtitem precor, vt habeam apud quem poſtea ſimilis quidem animi, ac voluntatis, diſſimilem tamen fructum, ac multo vberiorem collocem. Vale.

EPISTOLA XXII.

LVDOVICO CAVMARTINO Regi à ſanctioribus Conſiliis.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum ex perſona FRANCISCI *filij.*

MAGNO iampridem animo cùm ad reliquas capeſſendas artes, tum ad hoc poſtremò ſapientiæ ſtudium acceſſeram, (PATER OPTIME) quòd ita faciendum eſſe auctore te potiſſimùm atque hortatore didiceram. Sed maior etiam, quàm initio prouideram, iiſdem vrgendis ac proſequendis adhibenda vis fuit. Siue tanta rerum partim dignitas, partim varietas atque obſcuritas ineſt, vt eam neceſſe ſit incredibili animi contentione ſuſtineri : ſiue tandiu peregrinari ab oculis tuis, atque interim præſentia tua carere nos oportuit. Quod profectò non modò pro amore erga te meo longè mihi moleſtiſſimum accidit : ſed auxit inſuper curam ſolicitudinémque noſtram ; ac

vehementer acuit, quod eò acrius de me iudicium tuum, ac seuerius fore perspicerem. Etenim quarum rerum quotidiana accessione cernenda paullatim assuescimus, eæ fallunt oculos consuetudine ipsa, & in exigendo diiudicandóque processu hebetiores quodammodo faciunt. Quorum autem incrementum nonnisi longo interuallo, ac simul vniuersum obiicitur, ea infinitæ de se expectationi, ac cupiditati admodum ægrè satisfaciunt. Ac tu quidem non, vt plerique parentes solent, vel in prima illa rudioris ætatis institutione domi apud te detineri me, atque in sinu tuo, & complexu versari passus es. Sed vti Theseum ferunt, cùm infans adhuc esset, ita à parente longinquam in tutelam, ac custodiam ablegatum, vt non priùs ad se veniendi potestatem is faceret, quàm ingenti saxo reuoluto, quod adultæ iam ætatis esset indicium, sub illo conditum ensem ad sese reportaret: sic me ex peregrina illa disciplina, in quam multos iam annos à te sum traditus, sine aliquo corroborati ingenij specimine reuocari omninò non sinis. Quod ego ipsum (PATER OPTIME) ne me diutiùs abesse à te cuperes, repræsentandum modò tibi, atque offerendum esse duxi. In quo si mihi vel prædicandi tui, vel excusandi, conciliandíque mei partes aut voluntate tua detractæ, aut propter vtriusque coniunctionem, esse superuacuæ videntur, gratulandi certè nihilominùs sunt relictæ. Atque vt imperator ille nescio quis certaminum suorum victo-

riarúmque præcipuum hunc esse fructum existimabat, quòd eas esset viuâ adhuc matre suâ, ac superstite consecutus: ita mihi ob hoc præsertim gaudendum esse censeo, quòd te non solùm conscio, sed patrono etiam ac defensore in illud me ingenij certamen industriæque commiserim. Verùm ne nimium de me magnificè sentire, ac mihi, dubio præsertim exitu, omnia temerè polliceri videar, modum adhibebo gratulationi meæ, ídque vnum, quoad votis assequi potero, contendam; vt quemadmodum splendori nunc & ornamento mihi es, erísque perpetuò; sic ego vicissim, quod esse patri sapientem filium regum ille sapientissimus monet, gloriæ tibi aliquando, certè voluptati esse possim. Vale.

EPISTOLA XXII.

ΟΥΡΒΑΝΩι ΤΩι ΟΓΔΟΩι
μεγίστῳ ἀρχιερεῖ.

Προσφωνητικὴ τῆς ἐμμέτρου τῶν Ψαλμῶν παραφράσεως.

ΘΕΙΟΝ εἶναί τι χρῆμα τὴν ποιητικὴν, καὶ ἐκ τῆς ἄνωθεν ἐπιπνοίας ὁρμώμενον, πάλαι τοῖς σοφοῖς δέδοκται καὶ

λογίοις ἀνδράσι, (Μακαριώτατε Πάτερ) καὶ τοῦτο μὲν οἵ γε πλεῖστοι καθόλου, καὶ ἀδιορίστως ἀπεφήναντο, ὡς ἱερὸν ἅπαν, καὶ ἔνθεον ἡγητέον τὸ γένος τῶν ποιητῶν. Πλὴν ἔστι τοῦτο οὑτωσί πως, καὶ ἁπλῶς εἰρημένον οὐκ ἀληθές· πολλοῦ γε καὶ δεῖ. χρὴ γὰρ δήπου πρότερον διελόντας εἰπεῖν, ὡς διχῆ φερομένης τῆς τέχνης, ἡ μὲν περὶ τὰ ψευδῆ, καὶ μυθώδη, ἢ καὶ ἄσεμνα, καὶ φορτικὰ καταγινομένη, φορτική τίς ἐστι καὶ αὐτή, καὶ συρφετώδης, οὐδὲν μέγα, καὶ γενναῖον ἀποτίκτουσα, μηδὲ λαμπρᾶς ἐκείνης τῆς ἐκ τῶν σοφῶν ἀνακηρύξεως ἄξιον. ἣν τούτου γε ἕνεκα προσῆκόν ἐστιν ἀποδιοπομπήσασθαι, κατὰ κράτος φεύγοντα, καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον ῥίπτειν, καὶ πετρῶν κατ᾽ ἠλιβάτων· οἷα περὶ τῆς πενίας οὐκ ἐν δέοντί τις ἀπέρριψε τῶν γνωμολόγων. Καὶ τοῦδε μὲν πέρι τοῦ ποιητικῆς εἴδους πλείω λέγειν ἀφίημι, τοσοῦτον ἐπειπών, ὅ καὶ Ἀρίστιππον λέγουσι τὸν φιλόσοφον μύρῳ χρισάμενον, εἰς τοὺς μαλακοὺς, καὶ θηλυ-

δρίας ἐπιφθέγξασθαι· ὅτι κακοὺς ἔδει κακῶς ἀπολωλέναι τοὺς τοῦ μύθου τὴν ὠφέλειαν εἰς λοιδορίαν διαβεβληκότας. Ἀλλ' οὖν ἄρα τί παρὰ τοῦτο γένος ἕτερον τῆς ποιητικῆς ἐμβριθὲς τῷ ὄντι, καὶ κόσμιον, καὶ πάσης ἀκαθαρσίας, καὶ ἀσελγείας ἀλλότριον· ὃ ἀμφὶ τὰ θεῖα στρέφεται, ἢ τὰ καλά, καὶ σπουδαῖα· ὃ δὴ περὶ πολλοῦ ποιητέον, καὶ ἐγκριτέον τοῖς γε νοῦν ἔχουσι, μεμνημένοις ὡς ἄρα εἰς πολλά, καὶ καιριώτατα ἐντεῦθεν ὁ βίος ὠφελεῖται, ἀφορμὴν ἐκ τοῦδε λαβόντων ἀνθρώπων τοῦ τῶν ἀναγκαίων, καὶ προσηκόντων ἀντέχεσθαι. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ τοιαῦτα οὐ μετρίαν τοῖς προσερχομένοις ἀηδίαν, καὶ ταραχὴν δὲ κατ' ἀρχὰς ἐμποιεῖ· ὡς ῥᾳδίως ἀφίστασθαι, καὶ ἐνδιδόναι, διὰ δὲ τὸ σαθρὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ ἀψίκορον, καὶ πρὸς τὰ ἡδέα ἄλλως εὐεπίφορον· πάρεστιν ἐκ τοῦ ἐγγὺς ἐπιβοηθοῦντα τοῖς συμφέρουσι τὰ τῆς ἐμμελοῦς ψυχαγωγίας ἡδύσματα· οἷς δελεασθέντες ἡμεῖς ῥᾷον ἐκεῖνα προσιέμε-

θαι. ὥσπερ οἱ παῖδες τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων, μέλιτι περιχριομένης τῆς κύλικος.

Ἀμέλει, ὥσπερ τῶν ἀρχαίων ἔφησέ τις, τρόπον οἱονεί τινα τὴν ἡδονὴν ὑπάρχειν, δι' ἧς ἡ ψυχὴ συμπλέκεται πρὸς τὸ σῶμα, καὶ συνάπτεται· τοῦτό μοι δοκεῖ οὐκ ἀπεικότως ἂν ἐφαρμόσαι ἐπὶ τὸ προκείμενον· εἴπερ γὰρ πρόνης ὁμοίαν τὴν ποιητικὴν ἐμμέλειαν, ἢ τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς συμβιβάζειν, καὶ συναρμόζειν οἶδε τὴν ψυχήν. Τούτου γοῦν ἕνεκα καὶ τοὺς πάλαι νομοθέτας λόγος ἔχει, τοὺς σφῶν νόμους ἐντείναντας εἰς ἔπος παραδοῦναι ταῖς πόλεσι, καὶ τοὺς παῖδας μανθάνειν κελεῦσαι· ἵνα διὰ τῆς ἐκ τῶν ῥυθμῶν, καὶ ἁρμονίας τέρψεως εὐκολώτερον αὐτοὺς εἰς τὴν μνήμην παραδέξωνται· καὶ τῷ μὲν δοκεῖν ᾄδωσι μέλη τινά· τῇ δ' ἀληθείᾳ, καθ' οὓς πολιτεύεσθαι μετ' ἀλλήλων χρὴ, τὸν βίον ἐκπαιδεύωνται. ἃ καὶ βέλτιον, οἶμαι, πάντων ἐκείνων συνιδὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ στοχασάμενον τῆς τῶν Ἑβραίων ἀσθενείας,

τὰ πλεῖστα καὶ χρησιμώτατα τῶν ἱερῶν βιβλίων, ἂν εἴς τε τὰ τῆς ὀρθῆς, καὶ κατὰ τὸν νόμον πολιτείας κεφάλαια, ἢ παραγγελματά τινα, καὶ παραινέσεις πρὸς ἀρετὴν ἧσσον, διὰ μέτρων, καὶ μελῳδίας ἐξέθετο· ὥς φησιν ὁ Ἱερώνυμος φερωνύμως ἱερὸς ἀνήρ, καὶ τριβὴν περὶ τὰ τῶν Ἑβραίων μαθήματα, καὶ ἐμπειρίαν οὐκ ὀλίγην κεκτῆσθαι δοκῶν. ὃς καὶ τούτου μάρτυρας παρέχει τόν τε Ἰώσηππον, καὶ τὸν Ἀδαμάντιον Ὠριγένην. Καὶ τὰς μὲν ἄλλας ἐῶ τῶν βίβλων, περὶ ὧν κἂν ἀμφισβητοίη τις μὴ οὕτως ἔχειν. περὶ δὲ τῶν τοῦ Δαβίδου ψαλμῶν οὐκ ἔστιν εἰς οὐ τῷ μακαρίῳ ἐκείνῳ συντίθεται, οὐ μόνον ἐμμέτρως ἐκδεδόσθαι φάσκοντι· ἀλλὰ καὶ παντοίων ῥυθμῶν, καὶ μελῶν πεποικίλθαι χάρισιν· οἵαις τά τε τοῦ Πινδάρου διηύθηνται, καὶ τὰ τοῦ Ἀλκαίου, ἔτι δὲ καὶ Σαπφοῦς, καὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις ἐν μνήμῃ, καὶ δόξῃ Ὁρατίου Φλάκκου. οὓς δὴ ξύμπαντας, καὶ τοὺς λοιποὺς δὲ τοὺς μάλιστα παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καὶ Λατίνοις ἐπὶ τῇ ποιη-

τικῇ δυνάμει διαλάμψαντας, ἐνὶ καὶ σμικρῷ τῷδε βιβλίῳ τοσοῦτον ὁ Δαβίδης ὑπερηκόντισεν, οὐ τῷ μεγέθει μόνον, καὶ τῇ ἀξίᾳ τῶν νοημάτων, ἀλλ' ἔτι κάλλει, καὶ ἀγλαΐᾳ, καὶ γλυκύτητι· ὡς ἄμουσα, καὶ ἄκομψα πάντα τἄλλα ὡς πρὸς μόνον ἐκεῖνο δοκεῖν. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τοῦτο σαφῶς ἀποδείκνυται, τὸ ὑπ' ἐμοῦ εἰρημένον, ὅτι τὰ πλεῖστον εἰς χρείαν, καὶ ὠφέλειαν συμβάλλοντα τῶν βιβλίων, περινοίᾳ τινὶ τοῦ κρείττονος, ἀκριβέστερον τῶν ἄλλων εἰς κάλλος ἐξήσκηται. Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν Ψαλμῶν βίβλος, οἵα πᾶν ὅ,τι περ ἐν πάσαις ταῖς ἁγίαις γραφαῖς ἔνεστιν ὄφελος, ἐν ἑαυτῇ συλλέγειν. ὥστε οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι, ἐπιτομήν τινα πάντων τῶν θεοπνεύστων λογίων εἶναι ταύτην ἀποφαινόμενος. Αλλα μὲν γὰρ φη- »
σὶν (ὁ μέγας Βασίλειος) προφῆται παι- »
δεύουσιν, καὶ ἄλλα ἱστορικοί, καὶ ὁ νόμος ἕτερα, »
καὶ ἄλλα τὸ εἶδος τῆς παροιμιακῆς παραινέ- »
σεως· ἡ δὲ τῶν Ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάν- »
των ὠφέλιμον περιείληφε. προφητεύει »

τὰ μέλλοντα· ἱστορίας ὑπομιμνήσκει· νομοθετεῖ τῷ βίῳ· ὑποτίθεται τὰ πρακτέα· καὶ ἁπαξαπλῶς κοινὸν ταμιεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγμάτων, τὸ ἑκάστῳ πρόσφορον κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν ἐξευρίσκουσα. Οἷς συνῳδὰ γράφων ὁ μέγας καὶ αὐτὸς ἐπίκλην Ἀθανάσιος, οἱονεὶ παράδεισον εἶναι λέγει τὴν βίβλον τῶν Ψαλμῶν. ἐπεὶ τά τε πάντων ἐν ἑαυτῇ κατέχει τῶν λοιπῶν ἀγαθά· καὶ ἴδια δὲ οὐκ ὀλίγ' ἄττα συνεισφέρει. Προσθείην δ' ἂν ἔγωγε τοῖς ὑπ' ἀμφοῖν λεγομένοις, ὡς τῆς ὁσίας, καὶ ἐνθέου ποιητικῆς, ἧς πέρι ἔφθην εἰπών, παράδειγμα τοῦτο, καὶ κανόνα ὁ θεὸς ἐκκεῖσθαι τοῖς τῶν πιστῶν λογίοις ἠθέλησεν· ἵνα εἴ ποτέ τις τῶν χαριεστέρων τῆς ἐκ Μουσῶν τέρψεως δεόμενος, ἀπεργάζεσθαί τι τοιοῦτον ἀξιοῖ, πρὸς ἐκείνην μάλιστα τὴν ἰδέαν ἀπευθύνοιτο. ὃ δὴ πολλοὶ μὲν τέως προελόμενοι, καὶ μέλη τινὰ σώφρονα, καὶ χριστιανικῆς ἐπαγγελίας οὐκ ἀνάξια μελετήσαντες, τὴν λύραν ἔκρουσαν· σὺ δὲ καὶ τῶν ἄλλων διαφερόντως

ἐπιχθρῶν, τῆσδε τῆς ποιητικῆς κατὰ πάντων
ἐλέγξας τὰ πρωτεῖα· ὡς ἐκ τῶν σοι πάλαι
πεφιλοπονημένων ἰδεῖν ἔξεστιν. ἄπερ οὔτε
θαυμάζειν κατ' ἀξίαν ἔχομεν· οὔτε κἂν
πολλάκις ἐπελθόντες, μὴ οὐχὶ πάλιν ὡς
νεαροῖς ἐπιτίθεσθαι. οὕτω πολλή τις ἐπανθοῦσα
χάρις ἐπιτρέχει, δεινὴ καταθέλξαι
τὰς τῶν ἀκροωμένων ψυχὰς, καὶ πρὸς ἑαυτὴν
ἐφέλκεσθαι. Ἀλλὰ μὴν οὕτω διακεῖσθαί
σε πρότερον ἰδιωτεύοντα, πρὶν ἢ ἀρχῆς
τοσαύτης ἐπιτυχεῖν, καὶ εἰς τὰς ὑπὲρ τῶν
ὅλων φροντίδας ἐμβατεῦσαι, θαυμαστὸν ἴσως
οὐδὲν, οὐδὲ σαφὲς οὕτω τεκμήριον οἵα γνώμης
ἔχεις, καὶ διαθέσεως πρὸς τὴν ὑπ'
ἐμοῦ, καὶ πάντων τῶν φρονίμων ἐπαινουμένην
ποιητικήν. ὃ δὲ καὶ νῦν ἐν ἄκρῳ σε
καθεστῶτα τῆς αὐθεντίνης ὑπεροχῆς, καὶ
τηλικοῦτον πραγμάτων ὄγκον ἀράμενον,
καὶ οἷον ἀφ' ὑψηλῆς τινος σκοπιᾶς, ὅλην τοῖς
διανοίας ὀφθαλμοῖς περιλαβόντα τὴν ὑφ'
ἥλιον, ὅμως οὐδὲ τῆς πρὶν ἐρωμένης ἀποσχέσθαι·
φιλοφρονήσασθαι δὲ καὶ αὐτὴν οὐ-

δὲν ἧττον, καὶ διὰ τιμῆς ἄγειν, καὶ τῆς παρρησίας μεταδοῦναι, ἱκανὸν εἰς πίστιν, ὅπως περὶ αὐτὴν ἔχεις αὐτός, καὶ ὡς ἔχειν ἑτέρους δεῖν ἡγῇ. Τοιγαροῦν τοὺς πρὸς ἐκείνην οὐκ ἀφυεῖς δοκοῦντας εἶναι περιέπειν οὐκ ἀλλότριον σεαυτοῦ νομίζεις· οὐδέ τι τῆς τέχνης ἔργον ἀπαιτεῖν· καὶ κομιζόμενόν σοι παρ' αὐτῶν εὐμενῶς δέχεσθαι, καὶ σπουδῆς ἀξιοῦν. Τοῦτο μὲν οὖν οὐ παρ' ἄλλων πεπυσμένος, ἀλλὰ πείρᾳ μαθὼν αὐτὸς διϊσχυρισαίμην ἄν. καὶ αὐτὸ τοῦτο νῦν ὑπ' ἐμοῦ προσφερόμενόν σοι μούσης δῶρον ἑλληνίδος ἀφορμὴν ἐντεῦθεν ἔλαβεν. Καὶ γὰρ μετὰ τῶν ἄλλων μαθημάτων, ἅ σοι πολλά, καὶ παντοῖα πρόσεστι, κἀκείνων ἐμπειρότατος, καὶ ἐξ ἴσου ἐραστὴς ὤν, πρὸς τοῖς Ρωμαϊκοῖς ἔπη Ἑλληνικὰ παρ' ἡμῶν ᾔτησας οὐχ ἅπαξ, κἀμὲ ἐπὶ ταύτην παρώρμησας τὴν τῶν Ψαλμῶν ἑρμηνείαν, καὶ ἔκδοσιν. Οὐκοῦν ποτὶ λαβὼν παρὰ σοῦ τὸ σύνθημα, τότε μὲν ἀφειδῶς ἐμαυτὸν ἐπὶ τὴν παροῦσαν πραγματείαν φέρων ἐπέδωκα· καὶ νῦν ἀμφοτέρων ἕνεκα

θαῤῥῶ, σοῦ τε, καὶ τὴν μετὰ σὲ πάντως ἐντευξομένων· ὡς οὔτε τῆς προσδοκωμένης παρὰ σοῦ εὐνοίας ἀποτευξόμενος· ἧς ὅμηρον ἔχω τὴν προϋπάρξασαν ἤδη εἰς ἐμὲ φιλανθρωπίαν, καὶ πρόσκλησιν· οὔτε μὴν χαλεποῖς ἐκείνοις, καὶ ἀπαραιτήτοις δικασταῖς χρησόμενος· οἷς εἰκὸς τηλικούτῳ εἴκοντας ἀξιώματι, ὑφεῖναί τι τῆς ὀφρύος, καὶ μεταβιῶναι πρὸς τὸ ἐπιεικέστερον.

Ἤδη γε μὴν ἐκ τῆς τύχης ἕτερόν τι προσεπλέκετο τῷ δωρήματι, ὅ μοι συνοίσειν ἔοικεν εἰς τὸ βέλτιον, καὶ κατὰ γνώμην ἀπαλλάττειν. Εἰς γὰρ τουτονὶ τὸν καιρὸν ἀπήντησεν ἡ τοῦ συγγράμματος ἔκδοσις, καθ' ὃν εἰς χαλεπὴν, καὶ βαρεῖαν, ὥς φασιν, ἀῤῥωστίαν ἐμπεσὼν, παρὰ δόξαν ἀνέλαβες· ὅπερ ἐν χάριτος, καὶ εὐεργεσίας μοίρᾳ τῆς μεγίστης οἱ ἁπανταχοῦ Χριστιανοὶ τέθεινται. Οὐδεὶς γὰρ ἦν αὐτῶν, ὃς εὐθὺς ἀκούσας οὐ συνεπάθησέ τε νοσήσαντί σοι, καὶ ἦρε τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν, τὰς ὑπὲρ σωτηρίας τῆς σῆς ἱκετηρίας ἀναπέμπων τῷ

θεῷ, καὶ ὡς ἐπὶ κοινῇ συμφορᾷ τῆς οἰκουμένης ἀγωνιῶν. ἐπεὶ δὲ ὑπὸ τῶν ἐκτενῶν παρὰ σοῦ τῆς ἐκκλησίας προσευχῶν δυσωπηθεὶς ὁ θεός, ὡς τῶν δεσμῶν πάλαι τὸν Πέτρον, οὕτω σε τοῦ κινδύνου, καὶ τῆς ἀῤῥωστίας ἀπέλυσεν, οὐκ ἔστιν ὃς οὐ περιχαρὴς ἐγένετο, καὶ τῷ διασώσαντί σε τὰς ἐνδεχομένας χάριτας, ὡς ἴδια ἑαυτῷ διαφέρειν, ἀπέτισε. Καὶ νῦν εἰκὸς πανταχόθεν, ἔκ τε τῶν πόλεων, καὶ ἐκ τῶν βασιλέων, καὶ ἀρχόντων, συχνοὺς εἰς τὴν Ῥώμην πρέσβεις ἀφικέσθαι τοὺς προσκυνήσοντάς σε, καὶ συνησθησομένους, καὶ τὸ λοιπὸν εὐξομένους τοῦ βίου ὡς μακρότατόν σοι, καὶ εὐδαιμονέστατον ὑπάρχειν. Τούτοις τοίνυν κἂν τοὐμὸν μέρος συνεισφέρειν ᾠήθην δεῖν ἐμέ, καὶ κοινῆς ὥσπερ εὐτυχίας, καὶ χαρᾶς, οὕτω δὴ καὶ ἐντεύξεως, καὶ φιλοφροσύνης μεταχεῖν. Ἀλλ' ἐπεὶ παρεῖναι αὐτός, καὶ τὰ σωτήρια παρὼν ἑορτάζειν οὐχ οἷός τε ἦν, δέον ἀντ' ἐμοῦ τὸν μελῳδὸν ἔπεμψα, οὐ μίαν, ἀλλὰ πολλὰς χαριστηρίους ᾠδὰς πρὸς κιθάραν ἁρμόσοντα· καὶ προσέτι δὲ τῷ προσηνεῖ, καὶ ἐναρμονίῳ τῆς συμφωνίας τήν τε

σαν τῶν ψυχὴν ἡδίω ποιήσοντα, καὶ τὰ λείψανα τῆς ἀῤῥωστίας ἀποῤῥίψοντα. Δεινὸς γάρ τις τῶν νοσημάτων θεραπευτὴς ὁ κιθαρῳδὸς ἐκεῖνος· καὶ οὐ μόνον καθ᾽ ὃν ἔζη χρόνον ταῖς ψυχαῖς κατεπάδων ὠφέλει, καὶ τὰ σώματα τῶν καμνόντων· ἀλλὰ καὶ νῦν καθ᾽ ἑκάστην δὲ ποιεῖν τά τε παλαιὰ τραύματα ἐξιᾶται· ὥς φησιν ὁ Βασίλειος· καὶ τῶν νεοτρώτων ταχεῖαν ἐπάγει τὴν ἐπανόρθωσιν. καὶ τὸ νενοσηκὸς περιποιεῖται· καὶ τὸ ἀκέραιον διασώζει· καὶ ὅλως ἐξαιρεῖ τὰ πάθη. Εἴη δή σοι, ὦ μακαριώτατε Πάτερ, τηλικαῦτα τῆς ἡμετέρου πρέσβεως, καὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνου μελῳδίας ἀπόνασθαι· ὡς ἐπαληθεύεσθαί σοι τὸ ὑπ᾽ ἐκείνου που ᾀδόμενον· δηλαδὴ τὸ γῆρας ἀποξύσαντα, εὐλογεῖν σε τὸν Κύριον τὸν λυτρούμενον ἐκ φθορᾶς τὴν ζωήν σου· τὸν στεφανοῦντά σε ἐν ἐλέει, καὶ οἰκτιρμοῖς· τὸν ἐμπιμπλῶντα ἐν ἀγαθοῖς τὴν ἐπιθυμίαν σου, ὥστε ἀνακαινισθῆναι ὡς ἀετοῦ τὴν σου νεότητα. ὅπως ἐπὶ μήκιστον τὸν χρόνον ἐγκαθιδρυμένος τῷ τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων θώκῳ, τοῖς ὁμοίοις πολλάκις ἐκ Μουσῶν δώροις, καὶ ἀναθήμασι παρ᾽ ἡμῶν στεφανωθῇς.

EPISTOLA XXIV.

ΟΥΡΒΑΝΩι ΤΩι Η'.

μεγίστῳ ἀρχιερεῖ.

Προσφωνητικὴ τοῦ Ἐκκλησιαστοῦ ἐμμέτρως μεταφρασθέντος.

ΠΑΛΙΝ ἰδοὺ προσιέναι σοι τολμῶ (Μακαριώτατε Πάτερ) καὶ δῶρον προσφέρειν ὧν ἔχω κάλλιστον, καὶ οἰκειότατον μὲν ἐμοί· σοὶ δὲ μάλιστα κεχαρισμένον, τὸ ἀπὸ τῆς ποιητικῆς δηλαδὴ, καὶ ταύτης Ἑλληνικῆς. ὧν ἀμφοῖν εἰς ἄκρον ἐληλακὼς, ὡς οὐδεμίαν τὴν καθ' ἑαυτὸν ὑπερβολὴν ἀπολείπειν οὐδενὶ, τοὺς ἄμη γέ πη τούτων μετέχοντας, καὶ οὐ πάντως ἀμούσως ἔχειν δόξαντας, τιμῆς οὐ τῆς τυχούσης, καὶ παῤῥησίας ἀξιοῖς. καὶ ταῦτα τὰ μεγέθη τῆς ἀρχῆς, καὶ ἀξιώματος τοσοῦτον ὑπερβαίνων ἅπαντας, ὅσον οἷς ἔφθην εἰπεῖν λόγοις καὶ παιδεύμασι τὴν αὐτὴν διαφέρεις, Ἐγὼ μὲν οὖν τοιαύτης, καὶ θαυμαστῆς

οὕτω εἰς τοὺς φιλολόγους διαθέσεως τῆς σῆς δὶς καὶ τρὶς ἤδη πειραθεὶς, τέταρτον δὴ οὕτω προσέρχομαί σοι, οὐχ ἧττον ἢ πρόσθεν εὔελπις ὢν καὶ τῶν ἴσων, καὶ ὁμοίων, καὶ, εἴπου τύχοι, τῶν βελτιόνων ἐπιτυχεῖν. Μᾶλλον δὲ οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἕτερός τις στέλλεται πρὸς σὲ ἀντ' ἐμοῦ τήνδε τὴν πρεσβείαν ἀναδεξάμενος, καὶ ἐπίδοξος ὢν ῥᾷον ἢ ἐγὼ, καὶ μετὰ πλείονος τῆς ἐξουσίας εἰς ὄψιν σοι, καὶ ὁμιλίαν ἥξειν· ἅτε δὴ πάντων πάλαι θνητῶν σοφώτατος γεγονὼς, καὶ κοινὸς τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει σοφίας ὑφηγητὴς ὑπὸ θεοῦ κατασταθείς· ὡς καὶ ἐπίκλην Σοφὸς παρὰ πάντων ὀνομάζεσθαι. Ἀμέλει καὶ Ἐκκλησιαστὴς τούτου ἕνεκεν ἐπιγέγραπται ἐν αὐτῷ τούτῳ, ὃ εἰς ἑρμηνείαν, καὶ μετάφρασιν ἐξελεξάμην, βιβλίῳ· οἱονεὶ πάνδημον, μᾶλλον δὲ παγκόσμιόν τι πλῆθος εἰς ἓν ἀγείρας ἀνθρώπων εἰς ἀκρόασιν, καὶ μάθησιν τῶν προὔργου, καὶ πρὸς τὴν σωτηρίαν τεινόντων.

Ὧν δὲ κεφάλαιόν ἐστιν, ὡς οὐδὲν ἡγητέον τὰ παρόντα· ἐπεὶ πρόσκαιρά τέ ἐστι, καὶ τά-

χα που σκιᾶς, ἢ ὀνείρου δίκην ἀφιπτάμενα· ἐν ᾧ γὰρ πάρεστι, στάσιν, καὶ πῆξιν οὐκ ἔχοντα, οὐδὲ λαβὴν ἀσφαλῆ ὑποτείνοντα τοῖς κατέχειν πειρωμένοις. Οὐκοῦν βέλτιον εἴη παρὰ πολὺ, καὶ φρονίμου ἀνδρὸς ἔργον, τὰ πρὸς τὸν βραχὺν οὕτω, καὶ φροντίδων γέμοντα βίον μετρίως κεχορηγημένον, μὴ πλειόνων ὀρέγεσθαι, μηδὲ ἀπλήστως ἔχειν· ἀλλὰ τοῖς ἐκ θεοῦ δοθεῖσι στέργοντα, τούτοις πρὸς ἀπόλαυσιν, καὶ εὐποιΐαν χρήσασθαι, τὸν ἐκείνων δοτῆρα, καὶ λόγον ἀπαιτήσοντα πάντων φοβουμένους ἅμα, καὶ ὑμνοῦντας θεόν.

Τοιαῦτα, καὶ πλείω τούτων ἕτερα παραινῶν, καὶ εἰς ἐπήκοον ταῖς ἡμετέραις ἀκοαῖς καθ' ἑκάστην ἐνηχῶν ὁ Ἐκκλησιαστὴς, πρὸς τὴν ὁσίαν, καὶ μακαρίαν σου κεφαλὴν ἵεται παρεστάναι δεόμενος, καὶ μετὰ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα πεμπόμενος ὑπ' ἐμοῦ· τὸν ἐν ἁγίοις προφήταις ἐξεταζόμενόν φημι, Δαβίδην τὸν θεοπάτορα· ὃν σὺ Ἑλληνικὴν μετὰ μέλους ἱέντα φωνὴν φιλοφρόνως ὑπεδέξω. τούτῳ

γειῶ κατ' ἴχνος ἀκολουθῶν ὁ παῖς, καὶ δὴ θαῤῥῶν εἰς μέσον παρέρχεται, εἰς κόσμον ἐσκευασμένος, καὶ σχῆμα τῷ τοῦ γεννήσαντος ὅμοιον.

Ἀλλ' ἐπειδὴ βασιλεὺς μὲν ἐστὶν ὁ Ἐκκλησιαστὴς οὗτος· αὐτοῦ δὲ δορυφορίας οὐκ εἰκὸς πρόσοδον ποιεῖσθαι τὸν βασιλέα· διὰ τοῦτο λαμπρὰν τινα θεραπείαν αὐτοῦ προεξέστησα· οἱονεὶ στῖφος ἐπῶν παντοδαπῶν ἑλληνικῶν· ἔστι δὲ ὧν καὶ Ἑβραϊκῶν, τουτέστι πατρίων ἐκείνῳ. ἅπερ κατὰ διαφόρους ἤδη καιροὺς καθ' ἓν ἕκαστον ἐκδεδωκὼς, σωματοποιεῖν ἔδοξέ μοι τολμῶν, καὶ εἰς τιμὴν, καὶ προσθήκην ἀπονεῖμαι τοῦ Σολομῶντος· τά τε ἄλλα, καὶ ὅπως τῇ ποικιλίᾳ ταύτῃ καταγλαϊζόμενον τὸ δώρημα τοῦ μὲν πολλὴν τινα μετὰ τῆς ὠφελείας ἐπιδαψιλεύσῃ τὴν ψυχαγωγίαν. τοῦτον τοίνυν ἐὰν ἵλεως, καὶ εὐμενεῖ γνώμῃ τε καὶ προσώπῳ προσίεσθαι οὐκ ἀπαξιοῖς, πρέποντά τε ποιήσεις τῇ δόξῃ σου, καὶ ἐμφύτῳ τῶν τρόπων ἡμερότητι, καὶ φιλανθρωπίᾳ· κἀμὲ δὲ πλέον ἐξαρτήσῃ σου, καὶ εἰς

εὔχας τραπῆναι διώξεις προθυμότερον πείσῃς· ὡς ἐπὶ μακρότατόν σε τὸν χρόνον τῷ τοῦ Πέτρου θρόνῳ ἐγκαθιδρυμένον εἶ, καὶ κατὰ γνώμην ἄγειν τὸ ἐγκεχειρισμένον σοι Χριστοῦ ποίμνιον, ἐν κούφῳ, καὶ λιπαρῷ τῷ γήρᾳ εἴς τε τὸ παρὸν, καὶ πρὸς τὸ μέλλον δεξιῶς, καὶ εὐδαιμόνως διατιθέμενον.

EPISTOLA XXV.

ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ ΝΕΑΝΙΑι.

Προσφωνητικὴ τῆς μεταφράσεως τῶν τοῦ Κικέρωνος παραδόξων.

ΙΔΟΥ καινόν σοι παρ᾽ ἐμοῦ προσέρχεται παιδείας δῶρον Ἑλληνικῆς· ἅπερ σύ τε λαβεῖν ἐδεήθης ἐμοῦ· κἀγὼ δεομένῳ δώσειν ὑπεσχόμην, δευτέραν που τινὰ χάριν ἐπὶ τῇ προλαβούσῃ, ἣν εἰς σὲ προκατεθέμην, τὴν πρὸς ἐκεῖνα δηλαδὴ τὰ μαθήματα χειραγωγίαν, καὶ συμβουλήν.

Μέμνημαι γὰρ ὡς οὐ πρὸ πολλοῦ διαλεγομένων ἡμῶν, καὶ δαιμονίαν τινὰ δείξαντός σου πρὸς τοὺς Ἑλληνικοὺς λόγους ὁρμὴν ἔχειν, κἀμοῦ ἀποδεξαμένου, ἐπί τε τούτοις διὰ πολλῶν οὐχ ἥκιστα παρακαλοῦντος· μαθεῖν ἔφης ἐθέλειν, πῶς ἂν μεγάλην τις ἐν βραχεῖ, καὶ ῥᾴστην ποιήσαιτο τὴν προκοπήν. ὑπολαβόντος δ' αὖ ἐμοῦ, καὶ τοῦτο μάλιστα προὔργου ἂν γενέσθαι φήσαντος τοῖς ἑλληνίζειν ἐπιχειροῦσιν, εἴ τις τὰ τῶν πάλαι ἐπὶ τῇ Ῥωμαϊκῇ εὐγλωττίᾳ διαλαμψάντων συγγράμματα εἰς ἑλληνικὴν μεταφράζειν πειρῷτο τὴν διάλεκτον, (οὕτω γὰρ ἂν τελείαν λήψεσθαι, καὶ ἕξιν ἔμμονον τῆς ἐν ἀμφοτέραις εὐεπίας τε, καὶ δυνάμεως, πείρᾳ διδαχθέντα συντόμως ὧν διὰ μακρᾶς τῆς τῶν παραγγελμάτων διεξόδου μόλις ἂν ἐφικέσθαι δύναιτο) ταῦτ' ἄρα, καὶ πόλλ' ἄλλα τοιαῦτα λέγοντος ἐμοῦ, οὐ χαλεπῶς ἐπείσθης· καὶ αὐτόθεν εἰς ἔργον ἐχώρει σοι τὸ πρᾶγμα. Ἀλλ' ὅπως ὁδῷ μᾶλλον προβαίνοι· καὶ εἴ

που τι καὶ ἀποσφαλείη τὸ ἐγχείρημά σοι τοῦ ὀρθοῦ παραπεσὸν, (οἷα κατ᾽ ἀρχὰς συμβαίνειν εἰκὸς τοῖς ἀπείροις ἔτι, καὶ νεωστὶ τῶνδε τῶν μαθημάτων ἡμμένοις) πρόχειρον ἔχεις τὸ λεῖπον διορθῶσαι δυναμένην βοήθειαν· εἶξα κἀγὼ ἐν μέρει ταῖς σαυτοῦ δεήσεσι, καὶ τελευτῶν ἐπιβαλόμενος, ἅπερ σοι μεθερμηνεύειν ὑφηγούμενος, κατ᾽ ἰδίαν καὶ αὐτὸς ἐξελληνίζειν ὡς ἠδυνάμην κάλλιστα, καὶ ἀκριβέστατα· ἵνα τοῦτον πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων οἱονεὶ τύπον καὶ ὑπογραμμὸν, βέλτιον ἀπαλλαγείης. Ἐπειδὴ δ᾽ αὖ ἕνα ἐκ πάντων ἐκλέξαι τὸν Κικέρωνα ἀμφοῖν ἔδοξεν ἡμῖν, τὸ μὲν πρῶτον ἀπὸ τῶν ἐκείνου ἀρξάμενος ἐπιστολῶν, ἔστιν ἃς μεταφράζειν ἐπεχείρησα. Εἶτα ἀπὸ τούτων εἰς τὸ πρῶτον τῶν περὶ τῶν Καθηκόντων τειχῶν μεταβὰς, ἐντεῦθεν ὀλίγ᾽ ἄττα ἐξειργασάμενος. ἀλλὰ καὶ τόδε τὸ ἐγχείρημα, διὰ τὸ πολύστιχον τοῦ συγγράμματος ἀφεὶς, ἐπὶ τὰ Παράδοξα, οὕτω δὴ ἐπιγραφόμενον βιβλίδιον, τὴν ὁρμὴν ἀπηρεισά-

μην· ἀμφοῖν ἕνεκα δὴ τούτοιν, ὅτι ὁ μὲν ὄγκος σύμμετρος ἔδοξεν εἶναι, καὶ εὐάγκαλος. ἡ δὲ ὑπόθεσις γενναία τις ἐφαίνετο, καὶ φρονήματος μεστή· ὥστε πλὴν ἑνὸς κεφαλαίου, πάντα τῇ τῶν χριστιανῶν φιλοσοφίᾳ τῇ τελειοτάτῃ παντάπασιν ἐφαρμόζειν. Ἐστι δὲ τὸ κεφάλαιον τοῦτο αὐτὸ χρῆμα μὲν Στωϊκόν· τοῦ δὲ ὀρθοῦ λόγου οὐδὲν ἧττον, ἢ τῆς ἀληθινῆς ἡμῶν εὐσεβείας ἀπᾷδον, περὶ τοῦ ἴσα εἶναι τὰ ἁμαρτήματα, καὶ μηδὲν πλέον εἰς κακίας λόγον πλημμελεῖν τὸν ἑαυτοῦ πατέρα κτείνοντα, ἢ ἕτερόν τινα τῶν οὐδὲν προσηκόντων. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων διασκέψασθαι οὐ τοῦ παρόντος ἐστὶ καιροῦ. Ὃ δὲ νῦν ἔχον· ἐκεῖνο δὴ τὸ συγγραμμάτιον τοῦ Κικέρωνος σὴν χάριν τελέως ἀπεργασάμενος, εἰς κοινὴν ἁπάντων τῶν φιλελλήνων χρῆσιν, καὶ ὠφέλειαν ἐξέδωκα, σὺν καὶ ταῖς ἡμιτελέσιν, ὥσπερ ἔφθην εἰπών, συγγραφαῖς· ἤγουν τῷ προοιμίῳ τοῦ περὶ τῶν Καθηκόντων πρώτου βιβλίου, καὶ δυσὶ ταῖς ἐπιστολαῖς· ταύτην τοίνυν δεξά-

μένος, τὴν πραγματείαν, καὶ τοιαύτῃ χρώμενος ἐν δέοντι τῇ ἀφορμῇ, λήσῃ τάχα κατὰ τὰ ἑλληνικὰ λαμπρῶς ἐπιδεδωκώς, καὶ τὸν αὐτόν σοι δίαυλον διατρέχοντας ἥλικας, καὶ συμφοιτητὰς οὐκ ὀλίγῳ παραδραμών. Ὀναίο γοῦν τῆς ἄγαν φιλομαθείας· καὶ τοῦτο τὸ Ἰσοκράτειον ἐπαληθεύων, γίνοιο πολυμαθής. Ἔρρωσο.



DIONY-



DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS E SOCIET. IESV EPISTOLARVM LIBER II. *PHILOLOGICÆ.*

EPISTOLA I.

Iacobo Mallebrancquio Societatis Iesu.



VAM in ſcribendo mihi rationem præſcripſiſti, eam in reſpondendo ſequar; & ſine ambitu, ac verborum inani præfatione de iis, quæ in percontatione tua poſuiſti, ſententiam dicam.

Vt igitur à Gregorio noſtro Turonenſi initium faciam; nihil erit, quod hac de re lit-

teras noſtras deſideres; ſi libros noſtros de Doctrina Temp. quos anno ſuperiore in lucem emiſimus, in promptu habeas. Nam lib. XI. cap. XLVIII. huic quæſtioni cumulatè ſatisfecimus. Nihil certius quàm quod Chronologus iſte neſcio quis, cuius meminiſti, opinatus eſt: Paſchalem controuerſiam, de qua Gregorius lib. V, cap. XVII, in annum incurrere Chriſti 577, quo ſecundus Childeberti erat in curſu: alteram verò, cuius idem ſcriptor mentionem facit lib. X, cap. XXIII, vnà cum eclipſi Solis, anno congruere Chriſtianæ æræ 590. vti nos capite illo copiosè diſputamus, & Scaligerianum παραλογισμὸν redarguimus. Hactenus ergo controuerſia inter vos eſſe nulla debet.

De S. Martini obitu aſſentiri nullo modo poſſum, neque Gregorio, etſi is in errore conſtans eſt, nec alteri qui Gregorij lapſum ſequi, aut etiam augere voluerit. Nam Gregorius annum illius morti præfinit 397, qui ſcilicet Coſſ. habuit Cæſarium, & Atticum. At Scaliger ſplendidiùs etiam aberrat, qui biennio anteuertit, & ad annum accommodat 395. Nos annum vel 400, vel 401. ponimus. quorum alteruter decimus ſextus eſt ab anno 386; quo Euodius Conſul fuit. quotum illum quo mortuus eſt S. Martinus, annum computat Seuerus Sulpitius, Dialogo III. de vita S. Martini. Hæc à nobis lib. XI. de Doct. temp. c. XLIV pluribus explicata reperies.

Venio iam ad ipſum inquiſitionis caput, &

ἄπειρον Chronologicum, de quo quid ſentirem præcipuè flagitaſti. Annos te dicis illos, quos ex Gregorio paulo antè deſignauimus, cupere eſſe non 577, & 590; ſed vno minus, 576 & 589, ídque rationibus tuis magis congruere. atque hoc vtrum per nos liceat interrogas. Quæ dubitatio ad ipſum caput communis æræ transfertur. Nam cùm Salianus noſter, hortatore me vſus, natalem Chriſti in eum annum conferat, qui Coſſ. habuit Auguſtum XIII. & Siluanum, & æram vulgarem vno antecedit anno: ex quo factum eſt, vt quod Lunæ deliquium à Baronio in annum Chriſti 16 coniectum eſt, id ex Saliani calculo conueniat anno 15: eodem iure ſuſpicaris poſſe & annos illos qui numerantur 577 & 590, vno minus putari 576: 589. Quibus vt faciliùs reſpondeam: nonnulla de Chriſtiana æra, annóque natali Chriſti; ac de Baronij aliorúmque rationibus explicanda videntur.

Quorum hoc primum ac præcipuum eſſe debet: aliud eſſe communem, & Chriſtianam æram, ſiue epocham: aliud annum Chriſti, qui ab eo natali proximus eſt, quem ſibi quiſque priuata opinione ſtatuit. Etenim æra Chriſtiana fixa eſt, & immota loco, neque pro ſententiarum varietate mutatur. Eſt enim eiuſmodi, quam vulgò numerare conſueuimus; quam & *vſualem* propterea nonnulli vocant. Ab hac annus iſte computatur milleſimus ſexcenteſimus viceſimus octauus. Horum annorum primus incidit in annum Vrbis Var-

ronianum 754, editionis Iulianæ 46, cyclo Lunæ 2, Solis 10. Siue autem Christus Dominus anno proximè, antecedente, id est Iuliano 45, cyclo Lunæ 1 Solis IX, in lucem editus sit, VIII Cal. Ian. siue vno anno, vel biennio, vel pluribus antea, posteáve sit natus: nihilominus hæret in eodem anno Iuliano XLVI æra Christiana. neque propterea cycli mutandi sunt. Itaque aliud est, vti dicere cœperam, æra Christiana; aliud verus Christi natalis annus. Quæ res obseruatione mediocris, vsum Chronologicis in rebus maximum habet; cuius ignoratione complures in computandis temporibus errore lapsi sunt. Quippe annum illum, quo natus Dominus vulgò creditur, hoc est qui communis æræ principium proximè antecedit: alij eum esse putant, quo Coss. fuêre Lentulus & Messalinus: alij quo Consulatum inierunt Augustus XIII, & Plautius Siluanus. Illorum sectam Baronius, horum Onufrius amplexus est. Sed cùm annus ille, quem dixi, Consules habeat Cornelium Lentulum, & Calpurnium Pisonem: priores biennio; posteriores anno vno falsi sunt. Itaque priores duo Annalium tomi ad Probum vsque, vel Diocletianum, biennio peccant. Quod vt vitarent nonnulli, æram Christianam ab anno natali, quem verum existimabant, in Chronico suo distinxerunt. Idque auctore me Salianus noster vsurpauit. Quod nisi fecisset, toti illi sex Annalium tomi vnius anni parachronismo vitiosi essent. Qua de re

copiosè diſputatum à nobis eſt lib. XII de Doctrina Temporum.

Nunc ad te, & tua, care Pater, quæſita reuertor. Intelligi ex iis, quæ dicta ſunt, opinor, poteſt, tametſi anno vno Chriſti natalem antecapias, cúmque conferas in Conſulatum Auguſti XIII, & Siluani; nihil in æra Chriſtiana propterea poſſe mutari. Ac ſunt aliqua, quæ tu in epiſtola tua poſuiſti, quæ cuiuſmodi ſint extricare non poſſum. *Igitur* (inquis) *ſi iiſdem cum Saliano Coſſ. Baronium anno vno prauertenti mihi quadrant ſolis illa, & luna eclipſes, qua habentur anno æra Chriſtiana primo, num etiam de duabus illis Gregorij Paſcha dubietatibus idem ſit intelligendum* &c. Atqui ſi iiſdem cum Saliano Coſſ. vtare, non vno anno Baronium anteuertas; ſed ſequare potiùs. Hic enim Coſſ præfinit Lentulum & Meſſalinum; quibus annus Iulianus XLIII competit: Salianus Auguſtum XIII, & Siluanum, quorum Conſulatus in annum Iulianum XLIV incidit. Deinde vt de æra Chriſtiana loquaris, quam perperam à Baronio biennio anteceptam diximus: pro eo ac ſtatuis vno tantùm anno præuertetur. Itaque annus ille qui à Baronio numeratur Chriſti XVI, in Chronologia tua putandus erit XV: cùm ſit reuera XIV. Qui annus Auguſti morte, & Lunæ defectione celebris eſt quæ in Pannonia conſpecta eſt, Septemb. XXVII. Quod ad inſequentes annos attinet; monui iam à Diocletiani primordio deinceps Baronianam Chrono-

logiam cum rei veritate congruere. Cuius ratio reddita est à nobis lib. XI, cap. XXVII de Doct. temp. Quare nihil debet in annorum serie commutari: neque potest annus 577 à te numerari 576. Neque porro Astronomicæ tabulæ, vel cyclorum rationes demi aliquid ex annorum numero; vel addi patiuntur. Quod si annum exempli caussa 577 vel 590 vno minus numeres; non iam æræ Christianæ vulgaris annus vterque tribuetur: sed nouæ alteri quam tu soli tibi statueris.

De Ambrosij Epistola sic habendum est; mendosos esse codices, in quibus scriptum est annus 80 Diocletiani, pro 89. Loquitur enim de Paschate anni 373. quo cyclus Lunæ fuit 13. Decima quarta Paschalis IX Cal. Apr. At anno 93. Diocletiani, id est Christi 377. decima quarta Paschalis incurrit in IX Aprilis. Itaque vel hoc argumento noueris mendosum esse S. Ambrosij textum; quòd eodem die, anno vtroque terminum Paschalem contigisse ex illius oratione cōsequens sit. Atque hoc iamdudum ab aliis animaduersum est.

Ad summam, etsi annos illos, vel quoslibet alios anteuertas, nihil tamen in æra communi, quod ad bissextilium, vel cyclorum ordinem spectat immutare potest. Neque verò Salianus si ad ista tempora peruenisset, alios quàm qui à me commemorati sunt annos in Chronologia sua posuisset: sed perinde ac Baronius cum communi calculo consensisset.

Hæc ad quæsita tua longiùs fortasse, quàm

pro epiſtolæ modo; ſed explicari breuiùs iſta non poterant, quæ tum demum accuratiùs intelliges, cùm libros noſtros legeris: in quibus nihil eſt, quod eò pertineret, omiſſum. Tuis me precibus, ac ſacrificiis plurimum commendo. Vale. 1628.

EPISTOLA II.

Ioanni Billio Societatis Ieſu, Muſſipontum.

CAPIO laborum meorum, ſtudiorúmque fructum, qualem mihi propoſueram, dum alienis iuuandis quantulacumque inde opportunitas redundat. Eſt omnino ſpiſſa res ac moroſa, defectionum, præſertim ſolarium putatio, quam methodo noſtra ſubleuari poſſe non diffidimus. De qua nonnulla ſunt à te propoſita. quibus ſine vlla mora, ac pompa, ſingillatim breuitérque reſpondebo.

Primum illud eſt; an cùm apparens ſyzygia veram præcedit, vt accidet in nouilunio anni 1652, gradus & minuta reſpondentia tempori parallactico detrahere oporteat, an addere, aſcenſioni rectæ ſectionis meridiani, & eclipticæ. Reſpondeo; cùm apparens antecedit veram, detrahi oportere: cùm ſequitur veram; adiici. Siquidem aſcenſio recta ab initio Arietis in conſequentia numeratur; hoc eſt ab occiduis partibus æquatoris verſùs ortiuas.

Vnde quo longius est interuallum, eo magis promouetur Arietis initium occidentem versùs; ac magis ab ortiuis partibus recedit. Proinde si apparens nouilunium citiùs, quàm verum, incidat: de ascensione, quæ veri momento congruit, tantùm subtrahi debet, quantum interiecto temporis spatio confectum est.

Secundum est, de praxi solis altitudinis obtinendæ per can. x cap. xii: an ad eruendum arcum distantiæ inter nonagesimum gradum, & verum locum luminarium in ecliptica, locus verus luminarium è nonagesimi gradus situ deducendus sit. Respondeo vtriusque differentiam, arcum esse qui quæritur.

Tertium est de motu horario vero ad parallacticum tempus metiendum. De quo sic habeto, omninò ex can. vii cap. xi colligendum.

Postremò quod ad vmbræ vnionem attinet, ea pendet ex Solis anomalia. Etenim quando lucidum corpus maius est opposito, & vmbram faciente, quo ab hoc altiùs attollitur, eo maior vmbra proiicitur; quo verò propiùs est, eo minor vmbra fit. Ideo quo apogeo propinquior est Sol, eo maiores vmbræ sunt; adeóque variatio minor est, quæ ex perpetua regula de vmbra detrahitur.

Hæc sunt epistolæ tuæ quæsita. De quibus si paulò tardiùs rescripsi; primùm eorum accusanda cessatio est, à quibus seriùs quàm pro eo tẽpore, quo data ponitur, mihi est reddita. Tũ alia interim erant sub manum, quæ omnino anteuertenda negotio isti fuerunt. Quòd si tibi gratũ

id erit; mittam aliàs accuratiſſimam ſolaris eclipſeos διαχαφὴν per ſingulos canones exactam; vti ſimiles meditanti typi inſtar, & exemplaris eſſe poſſit. quod nonnullorum hîc rogatu facere inſtitui; & affecta iam res erat, cùm hæc ſcriberem. ſed ea fortaſſe tirone dignior eſt, quàm in his ſtudiis detrito, & exercitato, cuiuſmodi te aut eſſe, aut fore propediem auguror. Vranologium noſtrum, ſiue Auctarium operis de Doctrina Temporum puto iam apud vos extare. In eo multa Hipparchi, aliorúmque veterum Aſtronomorum errata ſanè pudenda detecta à nobis animaduertes; vt alia recentiorum omittam, præſertim Scaligeri, cuius liber de Anteceſſ. Æquin. funditus hîc euertitur. Vale. 1630.

EPISTOLA III.

Antonio Lalouuero Societatis Ieſu, Toloſam.

SERIVS licèt aliquanto, ad quæſita tua reſpondeo, quæ vnis litteris IV Kal. Maias datis expoſuiſti (nam ſuperiores, quas commemoras vidi equidem nullas.) Ne autem citiùs tibi ſatisfacerem iuſtæ cauſſæ, & graues interceſſerunt. Ac de ſingulis eo ordine dicam, quo abs te ſunt propoſita. Primum eſt de ſtellarum ϲυωανατελῆ, & συγκαταδύσει, de quibus regulæ quædam in Auctario præſcribuntur; quas in

nonnullis fallere aſtronomica ratio demonſtrat. quod ne ipſe quidem diffiteor. ſed eas qualeſcumque non à me conditas, ſed à Peucero, Vineto, aliíſque traditas, ex vulgaribus methodis, ac commentariis exſcripſi: ac nihil ideo mutaui, quòd ſi quid à vero diſcrepant, id ſit perleue, ac rarò, & in exigua duntaxat eleuatione poli accidat. Velut vbi æquale eſt ἔξαρμα declinationi maximæ zodiaci in vno haud ampliùs circulo contingit: in duobus verò tantùm, vbi citra declinationis maximæ modum polus attollitur. Quod quia perpuſillum eſt, vt dixi, & in iis ſphæræ poſitionibus, ad quas obſeruationes ſuas inſignes aſtronomi direxerunt, minimè fit: iccirco cùm ab vulgatæ methodi conditoribus neglecta iſta cautio eſt; tum à me dum illas inde transferrem inſuper habita. Poterit tamen, ſi qua deinceps editio noua curabitur, de ea re lector admoneri.

ᵞ Alterum caput eſt de horizonte, quem neſcio cur planum omnem eſſe definias: cùm ſit omninò duplex. Nam alius eſt planus; alius conicus, vt diſertè Cleomedes docet in fine libri 1. Ibi enim argumento illi reſpondens, quo effici videbatur non habere terram vnius puncti rationem ad cælum ex eo quod è ſublimi proſpicientibus ampliùs parte cæli dimidia pateat: ita diſputat; non inde conſequens eſſe terram cum mũdo comparatam non puncti inſtar eſſe: quòd ex editioribus locis plus dimidio cælo conſpiciatur: ſed ſi ex plano ſpectantibus id

accideret. Esse enim horizontem duplicem: τῶν μὲν ἐκ τῆς χθαμαλῶν ὁριζόντων, ἐπιπέδων ὄντων· τῶν δὲ ἐξ ὕψους ὁρωμένων, κωνοειδῶν, καὶ ὄντων καὶ καλουμένων. Hoc si verum est, tum rectè profectò pag. 277 Vranologij in schemate proposito diameter horizontis αἰσθητοῦ & κωνοειδοῦς ex A, è specula constituitur tangens A B. Hunc enim Cleomedis locum præ oculis habebam dum de horizonte illa scriberem.

Quod horizontem illum, qui supra terræ globum, quem in puncto contingit, ad cælum vsque porrigitur, totum visu discerni non posse obiter docui: nolo dictum illud ad exactam Mathematicorum subtilitatem exigas; quod ad popularem magis vsum sermonis conuenit. Non enim ideò non est sensilis, quia pars eius aliqua latet, opaci mole corporis oppressa, sicut illius, qui per terræ centrum traiicitur: sed quoniam humani visus acies angustioribus circunscripta spatiis cum illius interuallo adæquari non potest, quatenus in infinitum extenditur: maximè cùm λόγῳ θεωρητὸς appelletur, & ab αἰσθητῷ distinguatur. vnde consequens sit, non esse ipsum αἰσθητόν. Sed vtcumque res habet, expungi pauca illa verba malim, quàm sensilem horizontem cum maiore confundi, hoc est eius partem constitui; quod & Salmasius asserit; & placere tibi video. Atqui non solùm contrarium ex Cleomede demonstratum est: sed etiam si ita est, vt vis, hoc ipsum, quod mihi obiicis, in te recidet. Nam si horizon αἰσθητὸς plana superficies est, & pars maximi, ac

λόγῳ θεωρητῷ. conſentaneum eſt, totum ipſum circulum, cuius pars exigua duntaxat ſenſilis dicitur, conditionis alterius eſſe, miniméque ſenſilem. Quod quia epiſtolæ modum excedit, aliàs peculiaribus ad te litteris latiùs explicabo. Vale.

EPISTOLA IV.

Antonio Lalouuero Societatis Jeſu, Toloſam.

IAMDVDVM auriculam vellunt mihi binæ tuæ litteræ, quibus nihil hactenus reſcripſi: ſed cauſſam meam apud vos aget, ac pro me reſpondebit Rationarium meum, cuius exemplaria mitto tria, è quibus tibi vnum accipies, reliqua duo PP. Beſſonio, & Fagonio à me offeres. Noua eſt editio, & priori non ſolùm vberior, & emendatior; ſed nouo etiam ordine confecta, cuius in Præfatione ad Lectorem rationem expoſui.

Dicet hic vobis liber in ſe recenſendo, commutando, reſarciendo, ſic occupatum fuiſſe me; vti litterarum omnium, quas bene multas interim accepi pæne memoriam excuſſerit: ſed duarum imprimis à te poſtremarum, quæ quòd paullo difficilioris erant argumenti, plus ad reſpondendum ſtudij flagitabant, ac temporis. Quod vtrumque ne nunc quidem, quantum ſa-

tis erat adhibere integrum fuit :nec nisi raptim, illas ac celeriter percurrere potui.

Itaque minùs accuratam ad præcipua capita responsionem hanc habebis; in qua primùm illa ponam, de quibus posteriore tua epistola meministi.

Theonis obseruationes duas cum Tabulis nostris neutiquam congruere scribis; quarum altera solarem ἔκλειψιν, lunarem altera designat. Ego posterioris illius, quòd expeditiores sunt, calculis positis, idem quod mones animaduerti : Solares nondum attigi. Sed scire debes eclipseon rationes, quæ ex Ptolemaicis tabulis confectæ sunt, ab hodiernis sæpius abire longiùs; velut Alphonsinis ac Prutenicis, ne id Parisinis præcipuè vitio vertas. Quod ex vno exemplo poteris intelligere lunaris deliquij, cuius descriptio tradita est in 8. de Doct. Temp. p.798, & seq. Mihi cùm per otium licebit, duas illas Theonis ad aliorum quoque tabulas exigam; nostrarum vt explorem fidem.

Alexandrinorum intercalarem diem inter 28, & 29 Augusti Romani inseri cùm dixi, nihil aliud significare volui, nisi situm eius fuisse inter vltimum τῶν ἐπαγομένων, & neomeniam Thoth, si quæ Augusti 29 sæpius respondet. Quod rudi ac pingui minerua, non exquisita ratione pronuntiasse me fateor. Similiter atque Græci Computorum artifices dicere solent Thoth anni Alexandrini fixi semper incipere Iuliani Augusti XXIX. quod minimè verum est, si accuratè ac præcisè loqui velimus.

Iam Alexandrinorum intercalaris dies in anno fixo, citra controuersiam incidit in annum eum, qui Romanum bissextilem proximè præcedit; vt ex Ambrosio demonstrauimus, qui in epistola 83, diem 28. Pharmuthi, siue 238 à Neomenia Thoth, cum ix Cal. Mai. componit, hoc est xxiv. Martij, anno Christi 360. Vnde necesse est primam diem Thoth Augusti xxx die contigisse.

Hîc de integritate loci Ambrosiani dubitare videris, quod in quibusdam codicibus, 7 Cal. Mai. legitur.

At in numero dierum Pharmuthi nulla est varietas: nec dubium est quin 28, scripserit Ambrosius. Id si verum est, tum verò Pharmuthi 28 dies cum Aprilis 23, siue ix Cal. Mai. comparatur. Nam nullo alio die, quàm Apr. 23, Dominica Paschalis isto anno incidit.

Nec minus illa sunt certa, quæ de initio τῆς ἀποκαταστάσεως anni fixi Alexandrini tradidimus in x de Doct. Temp. cap. 71. vbi contra communem opinionem statuìmus Alexandrinos annum fixum, & ἁπλαῦν vsurpare cœpisse ex anno Iuliano xxi, Vrbis 729. Per. Iul. 4689. Nabonassari 724 ineunte.

At tu annum antecedentem Periodi Iul. 4688 ei negotio præfinis Theone reclamante; qui in libro τῶν προχείρων κανόνων scribit annos ab æra Nabon. ad mortem Alexandri fluxisse 424. (in contextum Operis nostri perperam irrepsit ccccxxxiv) ad illam verò ἀποκατάστασιν, annos 723. Non est obscura Theonis, & ante

hunc Ptolemæi consuetudo, dum annorum summam computant ab epocha quapiam. Tum enim annos integros ac finitos colligunt. Vt cùm annos 424. vterque numerat ab initio Nabon. ad mortem Alexandri siue Thoth Philippi, significat annum 425. nouam æram auspicari, expletis iam annis 424. Ad hunc modum ab æra eadem Nabonassari ad ἀποκατάστασιν Alexandrini anni, integri fluxerunt anni 723. Proinde cùm anno 724 Nabonassari cœptus est annus fixus Alexandrinus. Atqui annus iste 724 iniit anno Iuliano 21, Per. Iul. 4689. quo neomenia Thoth primùm ad Augusti XXIX diem peruenit. Hoc igitur ipso anno, vti ratio postulat, Alexandrini annum fixum, & Romano similem adhibuerunt. quod & Metochitæ locus ibidem commemoratus à nobis indicat. De Michaele Psello, quo vno coniectura tua nititur, non deest quod respondeam. Sed quia non est ad manum liber illius, ab diuinatione abstinere satius duco: cùm præsertim ad institutum nostrum Theonis grauissimi, eruditissimíque Mathematici testimonium sufficiat. Nam quòd huius, & Metochitæ verba de ciuili anni structura, non astronomica, interpretari studes, assentiri non possum. Primùm quia ciuilis annus illorum ætate fixus erat, non vagus, & Nabonassareus. Deinde quod cùm astronomicam methodum iis in libris traderent, ad eámque necessarias epochas, & annorum summas præscriberent, non aliam quàm illius artis propriam computandi rationem ad-

hibuerunt. De Psello idipsum, quod de ambobus illis scribis, suspicari procliuius est. Vt anni illius fixi & Alexandrei duplex velut initium fuerit: alterum verum, quod anno isti per se conuenit, & ab eo qui fuit Per. Iul. 4689, ducitur; alterum ratione Tetraetericorum epilogismorum, quod posterius Michael Psellus vsurpauit.

De Panodori loco, siue Georgij ex Panodoro, quo vsus sum pag. 287, non muto sententiam. Annus V Augusti ex illius mente non alius est quàm Iulianus XXI, Vrbis conditæ 729, Iulianæ Periodi 4689. cuius anni maiorem partem occupauit annus ille quintus. Quod Theonis locus antè descriptus indicat. qui annum V Augusti desiisse significat anno Periodi Iulianæ 4689, eundémque esse cum 723 Nabonassari. Etenim Mathematici omnes Græci, Ptolemæus, Theo, & ceteri, annos regum, & imperatorum ex illo canone sumpserunt quem κανόνα τῶν βασιλειῶν nominant, ísque in libro τῶν προχείρων κανόνων apud Theonem legitur: qualem nos in 2. Rationarij editione coniecimus in calcem partis posterioris. In eo canone ab æra Philippi Aridæi siue mortis Alexandri M. ad finem Cleopatræ, & initium Augusti anni sunt 294. (malè in editione nostra, quam ex vitiosis apographis expressimus 292, quod castigandum est) à Nabonassaro 718. ita vt I Augusti sit Nabonassari 719, & quintus sit 723. Itaque anno labente Iulianæ editionis XXI, qui XXII à Georgio putatur ob πρόληψιν anni Alexandrini à 29

Augusti

Augusti, vel Constant. à Cal. Septemb. cœpit annus τῆς ἀποκαταστάσεως. Atque idem imperitè XVI annum Iulianum Augustei imperij annum XVI numerat, quasi duplex illius epocha sit; altera Romani imperij ab exordio Iuliani anni. altera Ægyptiaci à morte Cleopatræ, hoc est ab anno Iuliano exeunte 16, Vrbis 724, Per. Iul. 4684. Quod verò scribit τετραετηρικὴν ἡμέραν inculcatam anno V Augusti, siue vt Theo loquitur μετὰ τὴν ε. sic explicandum est, non vt anno illo intercalatum sit. Nam neque anno illo, quem tu præfinis, & iniisse vis Augusti XXX, Per. Iul. 4688, intercalasse putandi sunt. cùm intercalaris vtique dies ad anteriorem annum 722 Nabonassari, cui arrogatur, non ad proximè sequentem referri debeat.

Nam quod asseris annum 22 Augusti ab eius Triumuiratu profectum ex mente Georgij, cadere in annum Per. Iul. 4692, id non solùm Theo, sed etiam Georgius ipse refellit. Hic enim aut in annum XVI Augusti plerosque Alexandreæ ἅλωσιν conferre, qui sine dubio annus est Iulianus XVI, Vrbis 724, Per. Iul. 4684. à quo quintus annus eiusdem Augusti ab Theone numeratur, incidítque in eum, quem diximus, Per. Iul. 4689. Quare nulla istic latebra est diuinationis vllius.

In epistola S. Ambrosij anno Diocletiani 76, æræ Christianæ 360, cyclo Lunæ 19, ritè Pascha celebratum est IX Cal. Mai. Luna XXI, si neomenia ad 3 Aprilis diem ascribatur, vt Ambrosius aliíque veteres fecerunt. At anno

Diocletiani 103, Christi 387, aureo numero 8, Pascha incidit in VII Cal. Maias, siue Aprilis XXV diem Luna XXI. Siquidem aureus numerus 8, ad Aprilis V diem adiungitur. Anno item Diocletiani 93, Christi 377, aureo numero 17, Pascha celebratum 16 Cal. Maias, Luna 21. Hæc sunt certissima. Mouet te hoc vnum quod anno Diocletiani 76, cyclo 19, Luna non 21, sed 20, in Aprilis XXIII incurrerit. Id consentaneum est Bedæ, aliorúmque recentioris æui methodo, qui cùm Lunæ saltum in Iulij XXX diem contulissent, ac syzygiam illam, quæ Cal. Iul. inibat vno die mutilassent præter ordinem, versuram fecerunt in altera illa quæ eodem cyclo, V Martij incipit; quam præter seriem plenam ex caua fecerunt. At veteres aureum numerum 19 imputabant Aprilis 3, ibidémque Lunæ saltum, vel vt elegantiùs Græci τὴν ἐξαίρεσιν instituebant. Testis est huius rei Ambrosius in epistola ista de qua hîc agimus. tum Dionysius Exiguus in epist. 2, qui Lunã 15, cyclo 19 docet in 15 Cal. Maias incidere. Nos in Calendario nostro recentiores secuti sumus; & perplexi nescio quid, ad eam rem explicandam attulimus; quod ad eum modum castigandum erit vt aureum numerum 19 ex mente veterum diem Aprilis 3 obsidere dicamus; ex recentiore methodo 4 diem. In altera nostri Operis editione, quam propediem instituemus; priores forsitan anteponendi erunt, & cyclus 19 ad illorum præscriptum applicandus ad diem 3 Aprilis; aut certè de hac varietate mo-

hendus Lector. Quod autem ante biennium quàm epistolam suam dictaret, Pascha XI Cal. Apr. & 30 die mensis accidisse refert, id variè ab eruditis viris exponitur. Mullerius annum Christi 384 fuisse censet. & mensem illum iniisse vult Martij XXII.

De hoc ἐπέχω. Neque enim vt suspicaris, hoc Pascha conferimus in LXXXIV Diocletiani. quod tibi miror in mentem venire potuisse. cùm Ambrosius de anno LXXXIV Diocletiani ne litterâ quidem meminerit. nos autem ad exemplum methodi anni Alexandrini annum LXXXIX assumpserimus, qui nominatim ab Ambrosio commemoratur. Sed oscitantia typographi monstrum ibi lectionis peperit, quæ sic ordinanda est; anno Diocletiani LXXXIX *decimam quartam incidisse* IX *Calend. Aprilis, & Pascha prid. Cal. April.* vt ad oram nostri codicis à me adscriptum reperi antequam litteras tuas accepissem. Eiusmodi in libris nostris παροράματα sunt plura quàm vellem. quod mirari desinet, qui & numerorum tractationem morosam, ac lubricam, & argumenti subtilitatem, & operarum barbariem recordari voluerit. Atque hoc non tam veniæ abs te impetrandæ, quàm opis, ac subsidij gratia commemoraui. vt quoniam libros istos legere non dedignaris, si quid in his errati deprehenderis, id in schedula perscriptum identidem ad me ne graueris mittere. Tum quidquid erit aliud, quod in rem nostram esse iudicabis, de eo me certiorem facias. Et sunt nonnulla, de quibus

tecum agam ſimulatque plus ad opus illud recognoſcendum otij nactus fuero. Vale.

EPISTOLA V.

Petro Poßino Societatis Ieſu, Toloſam.

MAGNAM de te mihi ſpem fecerat P. Fayonius: maiorem tu ipſe tuis litteris feciſti, quas & eruditas, & grata quadam ingenuitate condîtas nuper accepi. Etſi minus eâ parte delectarunt, qua tu me nimiis, &, vt verum ſcias, falſis etiam laudibus oneraſti. niſi quod eatenus hîc error placebat, quod amico ab animo, noſtríque ſtudioſo qualecumque hoc profectum videbam. Sed ſi amare me, & amari viciſſim à me vis, fac illius recordêre, quod in ſimili re ſcriptum ab Auguſtino vehementer probare ſoleo. *Non mihi placet* (inquit epiſtolâ VII) *cùm à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Profectò enim non me, ſed pro me alium ſub meo nomine diligunt, ſi non quod ſum, ſed quod non ſum diligunt. Nam in quantum me nouerunt, vel de me verum credunt, ego ab eis diligor. In quantum autem mihi tribuunt quod in me non cognoſcunt, alium talem, qualem me putant, non me diligunt.* Ergo quia is abs te diligi mâlo, qui ſum, quàm qui falsò tibi eſſe videor; ſic quem habes de me, opinio-

nis errorem abiicias velim, nihil vt de amore, ac studio remittas. Equidem si te, pro eo, ac præsens, vel speratus deinceps ingenij tui fructus est, ornare cupiam; vlcisci me laudando te, ac vicem referre possum. Etenim vt hoc omittam, quod postremis suis litteris tuus mihi de te collega significauit, & eo vtar, quod ex tuis intelligere per me ipse potui, non exigua laus primùm alacritati tantæ debetur, quanta te inflammari omne ad honestarum disciplinarum genus ostendis: tum ex iis percontationibus, quas in epistolæ tuæ fine posuisti, nō est obscura diuinatio, vel qui modò sis istis in studiis, vel multo magis qui sis posteà futurus, si parem his initiis progrediendi constantiam adiunxeris. Quam vt adhibere pergas, hortarer equidem, si id esse opus existimarem: ac nisi, vt epistola tua fert, refrenandus mihi magis ardor tuus, quàm incitandus hortatione mea videretur. Quamobrem hac minimè necessariâ omissa parte, respondebo consultationi tuæ, qua meum consilium exquiris, quam te studiorum inire viam, ac præsertim in perdiscenda historia, Chronologiáque quid sequi oporteat. Nam cùm eam ex libris nostris instituerís petere, atque ij duplici genere constent, quòd alij meram historiam pollicentur, hoc est rerum gestarum expositionem: alij toti sunt τεχνικοὶ, quibus sola annorum methodus traditur, dubitare te scribis, vtri te potiùs addicas, cùm in ambobus simul operam collocare nequeas. Mihi verò ex commodo tuo partien-

dus hic labor videtur: vt si vtrumque eodem persequi tempore non potes; des te illi potiùs parti, quæ perpetuam historiam continet: non solùm quia facilitatis plus habet, minúsque tricarum; sed etiam quòd ad vsum scholarum, & illius professionis, quam sustines, multo est necessaria magis. Quòd si interim otij aliquid nactus fueris, subseciuíque temporis, valde auctor tibi sum, vt & partem alteram adiungas, & quod affectum iam à te esse scribis, id perficias. Credi enim vix potest, quantum ad illustrandam; ac muniendam historiam vtilitatis afferat methodus illa: immo quàm sine hac cæca ista sit; neque se tueri, ac sibi opitulari ipsa possit. De qua re scripsi aliàs in Prolegomenis Operis de Doctrina Temporum: quo minus hîc ea repetere attinet. Te verò, quâ & ingenij præstantiâ, & voluntate esse video; si eundem, quem instituisti, cursum tenes, plurimum hac in arte, ceterísque consecuturum esse, pro certo habeo.

Reliqua est epistolæ tuæ pars altera; quæ duplicem inquisitionem continet totidem de locis, ad quæ breuiter sic accipe. Diodori labem illam annorum 12, vel 13, iampridem à nobis animaduersam habes in XII de Doct. Temp. pag. 504, & 505. tum in libro IX cap. LIX. Sed errorem hunc esse Diodori istic assero. Tu sic excusari hominem posse coniicis, quasi consultò ita fecerit, vt Olympiadas tres de numero detraheret, quas ἀνολυμπιάδας Elei nominarunt; eæque, teste Pausania, fuerunt VIII,

XXXIV, & CIV. His enim ſuppreſſis, μεταχρονισμὸν ais, annorum duodecim admiſiſſe Diodorum: Hoc idem de Polybio ſuſpicabatur Georgius Heruuartus in portentoſo illo libro, cui *Nouæ, veræ, & exactæ Chronologiæ* tam falsò, quàm confidenter titulum inſcripſit. contra quem in IX de Doct. Temp. cap. XLIV accuratè diſputamus. Quæ autem illic aduerſus eum argumenta collecta ſunt, eadem contra coniecturam tuam valent. Itaque cùm libros noſtros penes te habeas, tu hinc illa petere potes; ego hîc longior eſſe non debeo.

De ortu Alexandri M. & Plutarchi loco quod ſecundò quæris; non eſt quod valdè conflictemur, dum ea pro certis teneantur, quæ de Olympiadici agonis tempore illic expoſuimus. Sanè ex paucis illis quæſtionibus, vt iam dixi, capio ingenij tui ſpecimen, quod ad iſtas artes vnicè factum in eâdem palæſtrâ, ſi me audis, diligentiùs exercebis. Nihil enim hoc tempore aliud eſt; in quo vel ad diuinam procurandam gloriam vtilius; vel ad ſocietatis noſtræ decus, ac ſplendorem illuſtrius; vel ad priuatum animi tui fructum iucundius elaborare poſſis. Quod ſi qua in re ſtudiis tuis commodare potero: quoniam ita tibi perſuaſiſti, nonnullum ad ea præſidium in me tibi eſſe poſitum; ego quidquid illud eſt, totum ea lege tibi defero, vt ſi in reſpondendo ero tardior, viciſſim ignoſcas; ac me meo commodo id agere permittas. Vale. Lut. Pariſ. XIII Cal. Dec. CIↃ IↃC XXXIV.

EPISTOLA VI.

Petro Poßino Societatis Iesu, Tolosam.

QVo plures ad me litteræ tuæ veniunt, eo magis iudicium meum confirmant, quod de tua indole, ingenióque feci, ex quo te primũ nosse potui. Vel illæ postremæ vt elegantes erant, & eruditæ, atque, vt Atticè dicam, πεπινωμένας! Quibus quidem respondeo feriùs, more meo; ne itidem vt aliàs feci, occupationes meas, aut aliorum litteras, quibus peræquè satisfaciendum est, excusare pergam. Quanquam te video in eadem esse caussa, qui post tertium, quàm acceperas, mensem respondisti litteris meis. Cuius tibi culpæ, si quam agnoscis; quod te malo non facere; facilè do veniam; dum tu mihi simili in re vicissim ignoscas. Nimis in amicitia importuni sunt, per quos in hoc litterarum officio negligentibus interdum esse non licet. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν. Ego verò & studio tuo gratulor, quod in illo doctrinæ genere collocare pergis; & consilij mei, quo te ad illud inductum, incensúmque esse profiteris, capio fructum. Quod meum beneficium, quando sic esse vis, eatenus agnosco, vt eius mihi tuendi, ac promouendi impositum onus existimem. Itaque cùm hortari te, vt idem illud agas, nunquam desinam: tum, si quid vsus noster leuare laborem tuum potest; hinc tibi quantum voles

assumendi perpetuam copiam faciam. Nunc ad ea, quæ in epistola tua percontatus es, paucis, atque ordine respondebo.

Imprimis de Excidij Troiani tempore non muto sententiam. Contigit enim ex mente Dionysij Halicarnassensis, eo anno, qui est à nobis expositus in IX de Doct. Temp. capite XXIX. Quæ verò de neomenia Hecatombæonis obiici possunt ex primo libro; ea rectè ipse dissoluis. Nam illîc nihil nisi hæsitationem nostram aperuimus; quæ rationi & auctoritati cessit in nono libro. Videntur ciuilis anni Attici conditores neomeniæ præsertim rationem habuisse: quam tamen intercalaris mensis longiùs arcebat interdum ab solstitij cardine: vt ex typo Calippicæ periodi constat, quem in libro 2, p. 139 descripsimus. Neque verò hanc ipsam Calippicam methodum ciuilem fuisse puto: sed astronomis cognitam; ita tamen vt ad eam ciuilis anni castigatio exigi potuerit.

De Lunari defectione anni Per. Iul. 4650 probo industriam tuam: quam vt experirer, raptim eiusdem calculos posui; qui quoniam à tuis leuiter dissentiunt, hîc eos adscribam. Anno Periodi Iulianæ 4650, cyclo solis 2, littera E, Lunæ 14, Plenilunium Eclipticum commissum est Romæ die 7 Nouembris feria ineunte 1, hora post noctem mediam 2, 53, *M.* 1. *Sec.* Ad quod tempus hi sunt medij motus.

Motus Solis ab Æquin.				*Anom. Solis*			
S.	*G.*	*M.*	*Sec.*	*S.*	*G.*	*M.*	*Sec.*
7.	13.	35.	9.	5.	6.	22.	33.

Anom. Lunæ	*Motus Latitud.*
S. G. M. Sec.	*S. G. M. Sec.*
5 22. 15. 43.	11. 23. 31. 39.

		M.	*S.*
Prosthaphæresis	Solis	0. 50. 49.	S
	Lunæ	0. 41. 27.	S

Differentia 9. *M.* 24. *Sec.* Tempus, horæ 0. 18. *M.* 20. *Sec.* S. Verum Plenilunium hora 2. 34. *M.* 35. *Sec.* Accuratius horâ 2. 36. *M.* 19. *Sec.* Physicum hora 2.46. *M.* 11. *Sec.* Motus latitudinis medius 11. 23. 21. *M.* 14. *Sec.* Verus, 11.22.39. *M.* 57. *Sec.* Latitudo australis 38. *M.* 2. *Sec.*

		M. Sec.		*M. Sec.*
Semidiameter	Lunæ	16. 59.	Summa	63. 2.
	Vmbræ	46. 31.		
	Solis	15. 57.		

Differentia summæ semidiametrorum Vmbræ ac Lunæ, & latitudinis, 25. *M.* 0. *Sec.* Digiti ecliptici $8 \frac{14}{17}$ id est fere 9

Quadratum latitudinis, 5207524 *Sec.*

Quadratum summæ semidiametrorum vmbræ ac Lunæ, 14303524 *Sec.*

Differentia, 9096000. *sec.* Radix quadrata 3015 *Sec.* quæ sunt 50. *M.* 15. *Sec.* quæ dant horam 1. 28. *M.*

Igitur initium defectionis hora post mediam noctem 1. 18. *M.* 11 *Sec.*

Medium defectionis hora	2. 46.	11
Finis hora	4. 14.	11
Duratio horarum	2. 56 *M.*	

Examen veræ syzygiæ.

	S. G. M. Sec.	
Motus Solis medius	7. 13. 34. 28	
Media Lunæ distantia	5. 29. 51. 25	A
Locus Lunæ medius	0 0 42. 20.	S
Verus locus Lunæ	1. 12. 43. 33	
Verus locus Solis	7. 12. 43. 36	S
Residuum	5. 29. 59. 57	

Desunt ad exactissimæ Oppositionis calculum secunda 3.

In epilogismo tuo Residuum erat, 5. 29. 49. *M.* 26. *Sec.* sed ἀπεροπτεία est. Nam ex tuis calculis supersunt omninò, 5, 29. 59. *M.* 26. *Sec.* Etenim verum locum Lunæ ponis 1. 12. 43. *M.* 20 *Sec.* de quo subtrahis Verum Solis 7. 12. 43. *M.* 54. *Sec.* Restant igitur 5. 29. 59. *M.* 26. *Sec.* Itaque accuratior, quàm putabas, fuisti. Redeo ad ψηφολογίαν nostram. In ea semidiametrum Lunæ contra Tabulas nostras, adeóque Tychonianas, vsurpauimus minutorum 16. *M.* 59. *Sec.* non 17. *M.* 59. *Sec.* quod eò feci, & vt deinceps facias censeo, quoniam qui Tychonianas tabulas ediderunt, per imprudentiam vno minuto aberrarunt: vt Christianus Longomontanus obseruat libro I Theoricorum, cap. VIII. qui castigatiorem proinde tabel-

lam edidit p. 174. quam adhibere nos oportet.

Curtij locus ille de Syracusanorum expeditione in Africam iamdudum notatus est à Radero in Commentariis ad eum auctorem, & erroris damnatus. Iure id quidem, si de Agathocle intellexit. Est enim haud mediocris ἀναχρονισμός. Sed quid si aliàs eódem Syracusani nauigarunt? Tametsi nusquã, quod meminerim historia talis extat. Illud alterum de Alexandri successoribus, in quo ab sacra historia dissentire videtur, copiosè Serrarius in Commentariis ad Macc. exposuit. Omnium facillima ratio mihi videtur, diuisisse dici regnum suum Alexandrum, quòd Perdiccæ, à quo diuisum est post eius mortem, summum ius, & administrationem dato annulo permiserit. Valc. Lutet. Paris. III. Cal. Iun. CIↃIↃCXXXV.

EPISTOLA VII.

Petro Poßino Societatis Iesu, Tolosam.

NON excusabo tarditatem meam, cuius vtrique nostrûm impunitatem volo esse propositam: nec illa tamen aut libenter vtar, aut licentiùs, quàm erit necesse.

Mitto integrum Rationarium editionis postremæ in duos tomos partitum, ac paullo longioris formæ, quàm prius erat; quam octu-

plicatam officinæ vocant. Secundus tomus, qui est altero dimidio ferè minor, Dissertationem illam de Photino, ac Sirmiensi concilio continet: quam sic excudi mandaueram, vt & coniunctim cum opere reliquo, & separatim legi posset. Id eo feci libentiùs, vt hoc te munusculo prouocarem, quòd ad illud te doctrinæ genus incitari propè diuinitus sentio. Neque verò quisquam, meo iudicio, vel idoneus magis est; vel maiori expectatione ingressus in illa studia, quàm tu: si & constans voluntas erit; & otium suppetet; quod deinceps abundantius fore videtur; vbi te oneri illi consuefeceris professionis nouæ, ac sanè laboriosæ; præsertim cùm ad publicas scholas accessit etiam priuata nostrorum institutio. Sed vtcunque tuæ res habebunt, nolo te ab cœptis aliqua difficultas absterreat; quæ tanta esse nulla potest, quin iis ingenij viribus, & hac industria, quæ in te est, sustineri, superaríque possit. Adiungerem ad illa tua præsidia, pollicitationem operæ meæ; méque tibi fautorem, & adiutorem laboris istius offerrem, si id valde necessarium crederem. Sed cuiusquemodi tandem illud est, quod à me proficisci in te potest, equidem tibi eius, quàm voles, benignam copiam, ac liberalem faciam. Incumbe modò, vti cœpisti, & fortem animum affer ad id, quod reliquum est illius artis: quod fortasse non ita magnum est, & eo minus operosum, quod iam es consecutus. Neque verò desistendum tibi interim est ab illo studio, & exercitatione

dicendi, ac ſcribendi, cui te neceſſariò deditum eſſe ſignificas. Nam vtrumque vbi concalueris, haud ægrè præſtabis. Tum ambo illa ſtudia neque genere ſeiuncta ſunt; neque pugnant inuicem: ſed coniuncta ſunt potiùs, & mutuis ſubſidiis aluntur, ac ſeſe fulciunt. Quod autem ad Græca Latinè vertenda tua te voluntas impulit; tanquam auſpicatus per iſta publicam ad lucem aditus pateat, conſilio iſtîc opus eſt.

Meum ſi requiris; ego non te nimium occupationi huic addictum eſſe volo: nec in eo caput cœnæ tuæ conſtituere. Plus enim habet ea res tædij, ac moleſtiæ, quàm operæpretij, aut certè ſplendoris. Etſi minus hoc te alterum ſolicitat. tamen otium tuum & ætatem meliùs collocare potes. Quare leuiter hoc attingas cenſeo: téque veterum ad lectionem & eruditionem illam variam, imprimis autem antiquitatis, & hiſtoriæ transferas.

Nunc ad illa veniam capita duo, de quibus percontatum te eſſe memini. Horum prius erat de anno, quo Æſchines contra Cteſiphontem, ac Demoſthenem dixit. De quo cùm Photius à Plutarcho diſſentiat; ego Plutarchi potiorem eſſe cauſſam arbitror; qui Prætore Ariſtophonte id eueniſſe refert in Vita Demoſthenis. Mouet vt ita ſentiam grauis auctor Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui in epiſtola ad Ammæum pag. 124 edit. Vecheli de Oratione Demoſthenis, quæ eſt de Corona, ſic loquitur: Οὗτος γὰρ μόνος εἰς δικαστήριον εἰσελήλυθεν μετὰ τὸν πόλεμον ἐπ' Ἀριστοφῶντος ἄρχοντος μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ

μάχην, ὀκτὼ δὲ μετὰ τὴν Φιλίππου τελευτὴν, καθ' ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τὴν ἐν Ἀρβήλοις ἐνίκα μάχην. Aristophon Prætor incurrit in annum Per. Iul. 4384, qui proximè iniit post Arbellicam pugnam. Chæronense verò prælium cadit in annum Periodi Iul. 4376. à quo nonus est is, quo Præturam adiit Aristophon: idémque septimus à Philippi obitu, qui Pythoro Prætore contigit anno Per. Iul. 4378. Quare vno circiter anno abest ab exacto Dionysij calculus. Cuius in verbis mendosa vox est illa ἐνιαυτὸν. ac nescio an scripserit δέκα ἐνιαυτοῖς μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, vt Plutarchus habet, qui ex Dionysio videtur accepisse. Id si est verum, tum vnius anni, vel biennij error erit. nisi pro δέκα, ἐννέα scripsit; & vterque terminus in summa comprehenditur. Omninò Aristophonte Prætore, & anno Per. Iul. 4384, dictæ sunt orationes illæ celeberrimæ, paullo post Arbellicam victoriam, hoc est anno ferè vertente.

Vellem de oratione Demadis, quod alterum fuit percontationis caput; ita mihi ratio constaret. Sed ea perdifficilis est. Parum abest, quin litem orationi illi de statu moueam: hoc est, quod te quoque suspicari video, suppositiis adscribam. Sed nolo temerè statuere. Quare assensum sustineo. Est autem & mutila, & argumenti obscurioris. de quo placet interim coniectura tua; donec certius aliquid odoremur. Postquam ista scripsi, relegi iterum accuratiùs; ac priorem nostram suspicionem firmaui. Mihi quippe dicendi genus minimè foren-

ſe, ac pugnax, & πολιτικὸν videbatur; ſed languidum, ac lacertorum nihil habens: cuiuſmodi non puto fuiſſe Demadis; quem πανοῦργον, hoc eſt vafrum, & callidum oratorem fuiſſe ſcribit Suidas. Quamobrem eò reuertor, vt Sophiſtæ cuiuſdam μελέτη, & vmbratilis declamatio fuerit. Quæ tu autem Latinè ex ea vertiſti, magnoperè mihi placent: niſi quod paullo eſt tua interpretatio diffuſior. Porro locus ille, qui proximè verba illa ſequitur, quæ à te Latinè facta ſunt, manifeſtè mendoſus eſt. Eum ita reſtituere conabar. Ἄλλως δὲ οὐ τὸν ἔλεγχον φοβοῦμαι τοῦ πράγματος, ἀλλὰ δὴ τὸν ἄδικον φθόνον· ὃς οὐ κρίνει τοὺς ἀδικοῦντας, ἀλλὰ φύεται ἐπὶ τοῖς δοκοῦσι λέγειν, ἢ πράττειν, vel ἐμφύεται τοῖς δοκ. λεγ. Inuidiam ait imminere, infeſtámque iis eſſe, qui dicendo, agendóque valent, quod veriſſimum eſt. Aut hæc, aut his ſimilia ſcripſit Demades iſte verus, an ementitus. Vale, mi Pater, méque ſacrificiorum ac precum tuarum participem facito. Lutetiæ Pariſiorum, Eidibus Maiis CIϽIϽCXXXVI.

EPISTOLA VIII.

Ægidio Bucherio Societatis Ieſu, Tornacum.

HABEO munus à te longè optatiſſimum, ac ſuauiſſimum, Commentarium de Doctrina

ctrina Temporum ad Aquitanum Victorium. Huic debitam à me gratiam vt non haberem solùm; sed etiam pro virili parte referrem, tantisper has litteras distuli; dum Rationarij nostri absoluta esset editio; quam nouam, ac priori longè castigatiorem, & vberiorem institueram. Quod nunc opus ad te mitto impar quidem ei, quo me prouocasti; nec eiusmodi, vt Hesiodio illi respondeat, quo bene meritos remunerari iubet

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴκε δύνῃαι

nisi quod ea nos clausula excusare potest, αἴκε δύνῃαι· quæ non minus in exæquando, quàm in superando beneficio rationem haberi vult eius, quantum quisque possit. Commentarium tuum attentè, & vti res postulat, nondum legere potui. quod me spero propediem facturum. Nam, vt absint cetera, satis magnam ad legendum illecebram præbet tum inscriptio eadem, qua nos vsi antea fuimus: tum argumenti in plerisque germanitas: tum à nobis postremò tua nonnulla dissensio. quæ omnia cupiditatem nostram incredibiliter acuunt: vt ex amborum comparatione vtra veriora sint æstimare possimus. Sed hoc otij, vti dixi, maioris est; quod ad hæc recolenda studia mihi iampridem defuit. Hoc simulatque nancisci potero, si id tamen non ingratum tibi esse perspexero: quæ mihi in mentem venerint, non contentioso, sed cupido inquirendæ veritatis, & beneuolo animo perscribam. Spero enim, à me cœptum hoc scribendi ad te

officium, aliarum deinceps literarum mutuæque inter nos consuetudinis initium futurum.

Non potui tamen facere, quin pauca quædam hîc adscriberem, quæ se primum ad impetum volutandi commentarij illius obtulerunt.

De Cyrilli epistola, quam in Appendice Operis nostri de Doct. Temp. edideram; aliqua sunt, in quibus à me discrepas. Primum quod anno Christi 443 putas esse scriptam, & in ea Pascha pronuntiari anni 444. Atqui data potiùs videtur, vt nos posuimus, anno 419. vt Pascha sit anni 420. Scripsit enim hanc epistolam Cyrillus ad Aurelium Carthaginiensem episcopum, alióſque præsules Africanos, qui Synodicam ad ipsum ac ceteros Patriarchas scripserant, vt ex eorum scriniis authenticos canones Nicæni concilij repeterent; de quibus inter ipsos, & Rom. Pont. Zosimum orta lis erat. quod ex Tom. 1. Conciliorum licet intelligere. At ante annum 443 iamdudum excesserat Aurelius. siquidem anno 430 Capreolus episcopus Carthaginiensis fuisse legitur: qui ad Ephesinam synodum litteras dedit, quibus de obitu S. Augustini certiores Patres fecit, cùm illum ad Concilium Theodosius inuitasset.

Huic Cyrilli epistolæ subiecta erat in Sirmondiano MS. lacinia quædam, quam minimè germanam esse, cùm ex aliis multis coniecturam fecimus, tum ex eo, quod Latinorum regulam commemorat, ac refellit, quorum ne-

que nomen, neque institutum Cyrillus vnquam didicit. tum denique quod Pascha in eadem lacinia conceptum longè sit citerioris ætatis; vt in notis ad illam epistolam probauimus.

In epistola Proterij pag. 84. S. Athanasium credis decessisse anno Christi 373, non vt vulgo persuasum est, 371. Verùm non modò Socrates lib. IV, cap. XXI Gratiano II, & Probo Coss. mortuum esse testatur, qui est annus 371. sed etiam Alexandrinorum episcoporum successio, quæ est apud Nicephorum in Chronico. Ibi enim anno quintodecimo ab Athanasij obitu, Theophilus illius vrbis episcopatum adiisse legitur. Creatus est autem Arcadio & Bautone Coss. vt Socrates tradit lib. 5 cap. 12. qui est annus 385. Proinde necesse est Athanasium obiisse anno 371. Proterium verò, nisi mendosus est locus, per hallucinationem Athanasij nomen edidisse.

Hæc de argumenti parte illa, quæ in tuis commentariis expeditior erat raptim ad te scribere volui. Interim ab communi Domino fausta, & fortunata tibi omnia precor; ídque vt vicissim mea caussa facias in sacrificiis precibúsque tuis enixè peto. Vale.



EPISTOLA IX.

Georgio Schonbergo Societatis Jeſu, Friburgum.

MIHI verò per illud optatum eſt, vſum inter nos mutui officij conſuetudinémque litterarum deinceps inſtitui: quã cùm à me tam enixè poſtulas; facis abundantiâ quadã modeſtiæ; vt quod ego quãtiuis comparare debueram, id à me tribui tibi beneficij loco deſideres. Dabo igitur operã, ne te, ſi minus ſpei expectationíſque tuæ, ſtudij certè mei, voluntatíſque pœniteat. Cuius vt ſpecimen aliquod modò præbeam; quæ duo à me requirebas, ad ea reſpondebo paucis; ac de Solis deliquio primò dicam, cuius accuratam διαγραφὴν in epiſtola tua poſuiſti.

Quæris ecquid ſuperioris anni defectio, quam in Natalem ipſum Domini Aſtronomicæ tabulæ conferunt, hîc à nobis obſeruata fuerit. Equidem nihil illo die libentiùs vidiſſem quàm ſerenum, liquidúmque cælum, & ad cæleſtium rerum obſeruationes idoneum: vt de Solari deliquio, quod ex tabulis prædixeram, oculis, ac reipſa comprobarem. Sed magno dolore noſtro contigit, totus vt ille dies obſcurus abiret, ac nubilus, ac ne Solis quidem ipſius intuendi copiam vllam faceret. Quanquam vt vel apertiſſimo tum cælo frui licuiſſet, haud ſcio quàm à nobis penitius diſcer-

ni defectio illa potuerit. Nam neque trientali amplior in Europa summa illius obscuratio contigit: & Lutetiæ vel initium duntaxat illius prospici potuisset. qua de re in Prognostico monueram.

Atqui ex eo calculo, quem è Tychonicis tabulis diligenter instituis, medium etiam illius Lutetiæ conspici potuit. Scribis enim initium eius incidisse hora post meridiem secunda, 32'. 15'': Medium hora tertia, 49'. 3'': Finem hora quinta, 5'. 51''. Sol hac in vrbe hora ferè quarta post meridiem occidit. Quare aliquanto Solis occasum summa obscuratio præcessit.

Verùm minimè dubito, quin media defectio occaso iam sole commissa fuerit; cuius rei certiùs cognoscendæ gratia ex Tychonicis tabulis istud ipsum deliquium denuò subduxi, eiúsque ψηφισμὸν hîc periclitandi gratiâ perscripsi.

Calculus ecliptici Nouilunij anno 1629 Dec. XXV. ex Tychonicis tabulis

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

Τὸ διάφορον calculi vestri, ac nostri minutorum est initio 26, in medio 23. quo interuallo tardiùs à nobis exhibetur.

Cùm nos iisdem tabulis vtamur, mirum videri possit, vnde tanta ψηφισμῶν varietas orta sit. Id eo factum animaduertimus, quod tu ad prosthaphæreticum tempus computandum verum horarium motum adhibueris, ego medium, siue æquabilem assumpserim. Prius il-

lud ex Tychonis præscripto, & exemplo factum esse non diffiteor: sed in eo minimè audiendus est, præstátque mediis illis motibus, quàm veris vti. quod ego certissima ratione comperi. Etenim si quis Tychonicas omnes Lunarium, ac Solarium eclipseon τηρήσεις ad fidem illius tabularum exigat, si prosthaphæreticum tempus per verum motum horarium subducat, longissimè ab obseruationum momentis aberit; sic vt horâ propemodum integrâ distet. Quod vt primum animaduerti, sanè vehementer obstupui; déque re tota lectorem admonui in libris de Doct. temp.

In quo sciendum illud est: quo differentia mediæ ac veræ synodi maior est, eo abnormiorem esse calculum: quo verò minor est, eo minus referre vtrum horarium motum ad prosthaphæreticum tempus accommodes. quod ego Tychoni arbitror fraudi fuisse. Quo enim exemplo vsus est, in eo prosthaphæreticum tempus perexiguum est.

Hoc primum caput est epistolæ. Alterum erat, vti Danicam Astronomiam à bibliopolis nostris emerem, ad vósque mitterem. Feci vt rogatus eram, ac Sebastiano Cramosio typographo nostro id negotium dedi: qui se Nanceium hasce litteras cum libro missurum recepit. Habebam & librum alterum vægrandem, Theologiam Moralem P. Laimanni, quam hac in vrbe quidam typographus recudit. Is rogatu meo vnum exemplar auctori ipsi dono dedit; quod ego penes me habeo: nec a-

liud, quàm opportunitatem mittendi illius expecto. Qua de re velim certiorem Laimannum facias, ad eúmque typographi illius litteras perferendas cures: qui se præsto fore pollicetur, si quid noui Pater ille typis nostris committere velit. Vale.

EPISTOLA X.

Stephano Vito, Societatis Iesu.

GRATVLOR Animaduersionibus nostris, si quidem tale in istis fuit aliquid, quod tantum virum tam incredibiliter afficeret. Etsi hoc ego non illarum adscribo merito, quod in eo esse genere mediocre arbitror: sed modestiæ, & humanitati tuæ, cuiusmodi in Homero candorem animi Oratione 1 miratus est Themistius, qui principem illum poëtarum nihil fermè ait sine aliqua laude nominasse: vsqueadeò vt & flagella ipsa splendida, & subulcum regem, & viliora quædam splendidis vocabulis appellet.

Cuius etiam in te candoris ac modestiæ fuisse illud interpretor, quòd quæ meliùs per te ipse scire, atque extricare poteras, de iis consulere me, ac percontari malueris.

De quibus inquisitionis capitibus, ne in præfando sim, excusandóque longior, singillatim & ordine respondebo.

Ac primùm de Paschate quod à Iudæis anno

illo, quo passus est Christus, celebratum fuit, perspicuum est typographi mendum, qui XXI Martij pro XXIV edidit. Nam XXIV Martij ex Epiphanij sententia primus dies azymorum actus est à Iudæis; cùm pridie eius diei verus in cruce agnus esset occisus.

De Ancyrana Synodo Semiarianorum verissimum est, quod nos pag. 319 scripsimus, eam anno Christi 358 incidisse.

Quod ad Francos attinet, non est dubitandum Epiphanij tempore in illis ipsis, quæ dixi, locis habitasse, hoc est trans Rhenum, ac cis Albim fluuium; vbi Chauci, Ansiuarij, Cherusci, Chamani, Sicambri, & Frisij collocantur. Testatur hoc Ammianus Marcell. l. XX qui de Iuliano ita scribit: Iulianus in limitem Germaniæ secundæ egressus, omníque apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, Traiectensi Mosæ oppido propinquabat. Rheno deinde transmisso, regionem subitò peruasit Francorum, quos Ansiuarios vocant.

Eosdem Francos Salios appellat Ammianus l. XVII. *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellauit.* Salij porrò ab Sala fluuio nomen acceperunt, qui est Isala fluuius, qui in eodem illo tractu in Rhenum fl. vel in fleuum lacum effunditur. Sed vide quæso Philippi Cluuerij Germaniæ lib. III. c. XX. Panegyricus Maximiano, & Constantio dictus: *Multa Francorum millia, qui Bataniam, aliásque cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit.*

Eumenius Paneg. *Batauiam ſub ipſo quondam alumno ſuo à diuerſis Francorum regibus occupatam omni hoſte purgauit.*

Nec me mouet, quod Hieronymus Francos inter Saxones, & Alemannos habitare ſcribit. Nam latè diffuſa gens, & ſub eodem nomine varios in populos diuiſa non vnas ſedes, neque continuas occupauit.

Quæris deinde, quemadmodum congruat anno Chriſtianæ & vulgaris epochæ xxxi, Chriſtum feria vi paſſum eſſe; Martij xxiii, luna cæleſti xii; cùm alio loco ſcripſerim plenilunium contigiſſe Martij xxvi, feria 3. vnde conſequens fit, feriam vi incidiſſe in xxix Martij, & lunam cæleſtem xviii.

Facilis eſt reſponſio. Nam feria vi tam Martij xxiii, quàm xxx accidit. Sed antecedentem ob eas cauſſas ſumpſimus, quas in Animaduerſ. pluribus explicatas habes. Fuit autẽ xxx Martij feria vi, non xxix. Littera quippe G anno illo locum habuit. Sed in Diagrammate, quod pag. 149 propoſitum eſt, horæ & fragmenta, cum 12 excedunt, ad ſequentem diem, feriámque pertinent.

Miror abs te negari Bedam auctorem eſſe librorum illorum, qui de Temporum ratione, & de Natura rerum inſcripti ſunt. Atqui in calce hiſtoriæ libros à ſe editos recenſens, illos ipſos nominatim refert. Nã qui de Æquinoctio inſcribitur, is in veteribus manuſcriptis non Bedæ, ſed Philippi Preſbyteri titulo legitur. Quod ſcribis de annorum Chriſti computo,

qui veteri more ab eo anno, quo fuit in vtero, numerari incipit, is eatenus à me damnatus est, si ætatis anni putari indidem incipiant. Siquidem communi more hominum, & instituto ætatis annus primus ab eo momento repetitur, quo infans in lucem editus est. Non igitur reprehensum à me illud est, quòd æra Christiana vtcunque ab anno Incarnationis deducta sit: sed quòd plerique in annorum ætatis Christi numerum procedere iuberent eum, quo in sacro virginis matris vtero gestatus est.

Ritum illum celebrandi Paschatis contra Catholicum vsum, qui pertinacissimè ab Scotis obseruatus est, meritò hæresim appellaui, cùm Epiphanium, aliósque PP. secutus; tum ipsummet, quem patronum aduocas, Bedam. Hic enim libro II Historiæ, cap. xx, Hilarij Papæ designati litteras recitat; in quibus ita loquitur: *Reperimus quosdam prouinciæ vestræ contra orthodoxam fidem nouam ex veteri hæresim renouare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes.*

Scotorum nomen cum gemino tt in antiquis libris extare memini: nec ab coniectura tua sum alienus, Epiphanium Σκόττον ita scripsisse.

Quod Augustini sermones aliquos pseudepigraphos sub illius nomine laudaui, nullum ex eo veritati præiudicium facere volui. Sed ita plerumque mos est, vt quibus titulis vulgò inscribi soleãt libri, veterúmque tractatus, cum

iis citari consueuerint. Quod ipsum de libello qui Bedæ nomine editus est de loquela per gestum, intelligi volo.

Marianum Scotum haud temerè ab communi errore ætatis illius exceperim, quæ in annis illis duobus & viginti ridiculè conflictata est. Nullam enim ad hanc diem editionem vidi Chronici illius, in qua non illud appareret.

Hæc ad quæsita tua quàmpotui breuissimè: quorum partem maximã, quæ quidem ad annos temporáque pertinet, pleniùs in Opere nostro de Doctrina temporum explicauimus. Quod autem paullo fui in rescribendo tardior, facilè hanc culpam cùm æquitas & humanitas tua; tum infinita hoc tempore varietas occupationum à me deprecabitur. Quæ nunquam tamen tantæ, aut tam graues esse poterunt, quin, si quid de me sciscitari præterea velis, hanc qualemcumque respondendi operam non curis omnibus ac negotiis antiquiorem habeam. Vale.

EPISTOLA XI.

Arnoldo Cathio Societatis Iesu, Ruremundam.

EODEM die litteras ad me Lutetiam scribebas, quo ego Rothomagum, & in orã illam

Neustriacam Lutetiâ proficiscebar. Qua in excursione sex admodum hebdomadas posuimus. Itaque non priùs litteras tuas vidi, quàm peregrè sum reuersus. Quod eo scribo; ne meam in respondendo tarditatem, ac negligentiam accuses.

Equidem doctorum, ac piorum hominum litteris & consuetudine plurimùm delector: tum quod mutuum hoc officij genus inter nos extare deinceps postulas, hoc verò gratissimum est sponte id oblatum esse, quod expetere ipse, ac prior impetrare debuerim. Nam vt communia illa necessitudinis iura prætermittam, quæ nobis absentes etiam eodem ex ordine, ignotósque conciliant; quæque ita commendas, vt ad ea propius tamen inter nos aliquid, ac familiarius velis adiungi: certè doctrinarum illa coniunctio, quibus vterque incredibiliter dediti sumus, acriores mihi ad huius amicitiæ cupiditatem stimulos admouit. Quocirca tibi de hoc in me studio ac voluntate primùm habeo gratiam: tum vt immortalem, ac perpetuam hanc esse velis, magnopere peto. De me quidem tibi polliceor: nullo me officiorum genere conseruandæ huic amicitiæ, immo amplificandæ ornandæque defuturum.

Quod ad ea verò quæstionum capita pertinet; de quibus quid sentiam sciscitaris: etsi intelligo non tam hæc discendi caussâ, quàm litterariæ istius sanciendæ consuetudinis iniecta esse; tamen respondebo breuiter. Igitur

Christianam æram anno ab Orbe condito quarto & octogesimo supra nongentesimum ac ter millesimum exordiri placet. Etenim sua cuique putandorum temporum ratio est, à nobis ista certis de caussis est constituta; quas in Tomo II operis de Doctrina Temporum vberrimè tradidimus. Neque verò id ἀποδεικτικῶς mera: sed maiori ex parte coniectura nititur. Quare qui aliter existimet; non magnum flagitium fecerit. Sit ille modò sibi constans; & Chronologiæ suæ rationes ita ex parte moderetur; ne cum anterioribus posteriora, vel vtraque cum historia, & obseruatione dissideant.

De Orbis conditi tempore, ac cardine, ego cum Iudæis, cum Serrario nostro, aliisque sentio, autumno potiùs, quàm vere procreatum esse. Cur huic illam opinionem præferam, eodẽ ex opere repetendum est. Postremò de anno Christi natali, de quo maxima in libri XII parte disseruimus; nostra illa ratio est: si Iosephi, ac Dionis auctoritatem sequi velimus: Dekerianam sententiam, quæ communem natalem annis quatuor anteuertit; aut Kepleriana, quæ vnum addit annum, valde probabilem: immo necessariam videri. Quæ cùm hactenus offensionem apud earum rerũ minùs peritos, & inuidiam habuerit (nam & ab Annaliũ conditore tam ipsam, quàm eius auctorem Dekeriũ inclementer acceptum meminimus) hoc quidem tẽpore tuendę illius; sic quasi vindicandæ libertatis vexillum è Capitolio sublatum est. Etenim,

quod iam sciſſe te arbitror; libellus quidam ab hinc biennio hîc editus eſt, auctore M. Antonio Capello Franciſcano, Doctore Theologo, idémque Magiſtri ſacri Palatij, ac ceterorum quorum ea cognitio eſt, ſubſcriptione, Romæ probatus. Quo in libro Natalis Chriſti ſex annis ante communem, & hactenus in Eccleſia receptum vſum collocatur. Qua in quæſtione tractanda, vt & ceteris non diſſimilis argumenti, cùm imperitiſſimè verſetur; fuit enim, quantum ex hoc opere coniici poteſt, eius quam inſtituebat artis apprimè rudis: non tam illius imperitia me mouet, quàm quòd iniquitate temporum, & certorum hominum importunitate factum video, vt illius inuenti gloria Dekerio, ac ſocietati noſtræ detracta, ab alienis, & indignis interuerſa ſit. Sed hac de re, veſtra potiſſimùm, hoc eſt Belgicæ prouinciæ curatio eſt: quorum ὁ μακαρίτης ille popularis fuit. Huius extare alicubi Annales audio: ſed vereor vt ij, quamlibet elaborati, vni illi Diatribæ, ac Theſi Gretzienſi reſpondeant. Vidi enim ab illo de Chronologicis quæſtionibus explicata quædam; quæ minimè mihi probabantur. Sed hæc modum epiſtolæ huius excedunt: quam ita denique concludam, vt me ſacrificiis ac precibus tuis enixè commendatum eſſe cupiam. Vale.

EPISTOLA XII.

Brunoni Cognato Carthusiano.

DE tarditate mea non purgabo; cuius diuturna me consuetudine propemodum iam pudere desiit. Et sunt profectò tam multæ sæpius eodem tempore mihi scribendæ litteræ, (præter quotidianas, ac necessarias commentationes) vix vt sufficere queam omnibus, & vadimonium vel differre longiùs cogar, vel funditus deserere.

Hoc non temere condonaret mihi alius; ac de contemptu, vel incuria, graues querelas faceret. Abs te verò (mi pater) vt impune laturum me sperem facit egregia humanitas, & facilitas tua: cuius ego fiduciâ, breuiùs quàm tu fortasse cuperes, respondebo litteris tuis, déque ea quam diligenter elaborasti, vitæ Christi serie, meum iudicium perscribam, non vt censor aliquis, qualem me esse vis, sed vt quiuis è numero consultorũ eius artis. Scribis videri tibi passionem Christi Domini rectè conferri in annum eum posse, qui sit communis æræ tricesimus: ei rei præfinis Aprilem, eiúsque diem septimum. Cetera nobiscum habes communia. Christianam epocham annis anteuertis quatuor: duo non amplius obiisse paschata, in tertio mortem ab illo susceptam asseris fuisse.

Mihi verò vnum illud in tua ratione displi-

cet, quod ex ea consequens sit, baptismum Christi in annum incurrisse communis æræ octauum, & vicesimum. Is est autem Iulianæ castigationis tertius & septuagesimus: quoniam Christi annus primus, vt scis, ineunte cœpit anno Iuliano sexto & quadragesimo. Hoc si verum est; baptismum adierit oportet anno Tiberij decimo-quarto ineunte. Nam obiit Augustus Cæsar anno æræ communis XIV, mensis cognominis XIX die, Iuliano LIX. indidémque Tiberij ducitur initium. Quare decimus-quintus eiusdem Tiberij cœpit anno Christi XXVIII, Iuliano LXXIII, ex Augusto mense: eiusdémque anni mense quinto nondum vertente, Christus ad Ioannem se contulit VIII Eid. Ian. anni Christi XXIIX. Atqui Lucas Euangelista refert, anno quinto-decimo Tiberij Cæsaris Ioannem instinctu Dei ad prædicandum publicè prodiisse. Hoc verò cum chronologia tua neutiquam conuenit.

Neque te potes hac interpretatione defendere; Lucam annos Tiberij κατὰ σελήνην putare cœpisse. Id si esset, à Paschate, vel Nisan, hoc est verno tempore, initium caperet, vti Judæis mos fuit. At Christi baptismus Paschate terior est: à quo decimus-quintus procedere debuit. Omnino vis est afferenda Lucæ, vt ad tuas rationes illius testimonium accommodes. Proinde neque mihi, neque, opinor, alteri sententiam approbabis tuam. Quæ hoc ipso præterea minus est plausibilis, quòd cum vetustissima traditione pugnat, in quam pæne

omnes

omnes antiqui conſentiunt: qui Martio menſe Chriſtum eſſe paſſum exiſtimant. Reliquam vitæ Chriſti διασκευὴν, & harmoniam tuam excutere, & nimis longum eſt, & minimè neceſſarium. Hanc eâ parte caſtiges cenſeo, quâ priori illi ὑποθέσει de anno paſſionis innititur.

De Carthuſienſis ordinis primordio, déque horribili ſpectro rediuiui, ac diuino iudicio damnati Canonici nihil alterutram in partem pronuntiaui: ſed ea tantùm referre ſatis habui, quæ ab hiſtoricis tradita, vel omiſſa compereram. Quare non eſt quod mihi quiſquam eo nomine ſuccenſeat. Te velim mei eſſe memorem in tuis apud communem Dominum precibus, ac ſacrificiis, & à me reuerendis Patribus D. Priori ac D. Vicario ſalutem dicere. Lutetiæ Pariſiorum Prid. Cal. Maias CIƆIƆCXXXIV.

EPISTOLA XIII.

MIRVM eſſe tibi viſum ſcribis me in libris de Doctrina Temporum Dekerij noſtri ſententiam de annis vitæ Chriſti, hoc eſt natali ipſius anno tenuiſſe; & hoc mihi eſſe conceſſum, quod olim negatum illi fuit, eam vt publicè poſſet expromere. Negandi porro cauſſam hanc fuiſſe quòd à Baronij opinione diſſentiret.

Ego verò, vt ad capita ſingula reſpondeam, valdè miror, qui hanc ad aures tuas querelam

detulerunt, non eos attentiùs animaduertisse, quis meus hac de re sensus esset, ac quid illis in libris super ea quæstione scripsissem. Non enim Dekeriana illic à me propugnata sententia est; neque communis ac Baroniana destituta ratio; ac ne certa quidem à me proposita est, quam præcipuè defenderem, sed, vt in ambigua, & ancipiti controuersia, ita sum versatus, vt eius statum constituerem, ac quid vtrinque disputari soleret, afferrem in medium: ego neutri parti fautor apertè, ac suffragator accederem.

Communis annorum Christi computus, quo vulgò nos vtimur, cuiúsque nunc nonus ac vicesimus annus supra millesimum & sexcentesimum agitur, cœpit ineunte anno Iulianæ editionis quadragesimo sexto, Olympiadis CXCIV anno quarto labente, quo Consules fuerunt Augustus XIV, & L. Æmilius Paulus. Ita Christus natus fuerit antecedente anno desinente, Cornelio Lentulo, & Calpurnio Pisone Coss. Hoc extra controuersiam esse debet, quod & nouissimè Salianus noster Annalium tomo vltimo ἀποδεικτικῶς ostendit. Hoc vnum de anno Christi natali in meis libris asseueranter posui: cetera neutram in partem definita sunt. Primus hoc sæculo Dekerius annis quatuor antequam vulgaris ista ratio sumit ortum esse, sub alieno nomine defendisse dicitur: alij biennio; alij quinque, sex etiam alij annis anteuerterunt. Ego, ne cui opinioni præiudicarem, ita sum complexus omnes, vt quid cuique con-

ſequens eſſet exponerem: nullam, vt dixi, peculiarem ſequerer ipſe. Mea itaque ratio hæc fuit, quam in fine diſputationis totius capite VI libri duodecimi pag. 415, explicaui; ſi Ioſephi, ac Dionis auctoritatem admittimus abire non poſſe, quin aliquot annis vulgarem Chriſti natalem verus anteceſſerit: ſepoſitis verò ambobus illis, ac neglectis, communem Chriſti annorum computum vnica ratione poſſe defendi; quam pleniùs eo, quem indicaui, loco perſcripſi. Demum verò ita concluſi: *Aut igitur Hiſtoricis illis abroganda fides erit: aut quæ ex eorum narratione concluduntur, pro veris minimèque dubiis amplectenda.* Hæc eſt aſſenſum ac iudicium inhibentis, non affirmantis oratio. Cui conſentaneum eſt Chronicon noſtrum. Ibi pag. 661 ad annum Iulianum XLI adſcriptum eſt: ex calculo Ioſephi, & Dionis Chriſtum natum videri anno illo. tum Baronianam, aliáſque ſuis quamque temporibus adnotaui. Quod meum conſilium non ſolùm reprehenſionis expers, ſed etiam neceſſarium fuit. Nam qui id mihi operis ſumpſerã, vt Chronologicas quæſtiones quàm poſſem accuratiſſimè pertractarem, nihil omnino, quod in vnoquoque capite anceps, & impeditum foret, omittere debui: maiore autem quàm in hac re factum eſſe dixi, vti æquitate non potui. Ac ſi quem noſtra de Ioſepho, ac Dione cunctatio non delectat, vtrumque contemnat, ſi lubet: & ad communem de natali Chriſti πρόληψιν, meam quoque ſententiam adiungat. Quan-

quam illa ipſa Baronianis à calculis, atque à vulgari computo diſſidens, & Chriſti natalem annis aliquot anteuertens opinio, vt inuidiam habuit, cùm eſt audita primùm: ſic hodie nullo periculo, palam ac liberè propugnari poſſe videtur: poſtquam eam Romanorum doctorum, ac Magiſtri ſacri palatij ſubſcriptio, atque auctoritas approbauit.

Etenim anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo-quinto, cùm in hanc vrbem Illuſtr. Card. Franc. Barberinus Legatus veniſſet, allatus eſt Româ, & eo iubente hîc apud nos editus liber Marci Antonij Cappelli Franciſcani Conuentualis, De cœna Chriſti ſuprema, déque præcipuis vitæ eius capitibus. Quo in libro non ſolùm Dekerianæ illi ſententiæ patrocinatur auctor, vt ante quatuor annos quàm vulgo putatur, natus ab illo Chriſtus ponatur: ſed duos etiam, quod hactenus inauditum erat, adiungit: ſex, inquam, totis annis citiùs natum eſſe Dominum aſſerit, vt qui cùm ſcribebat, vulgò numerabatur milleſimus ſexcenteſimus ac viceſimus quintus, eundem triceſimum primum ſupra ſexcentos ac mille putare non dubitet. Hoc vnicum pæne eſt Diſſertationis illius argumentum, hic ſcopus, vt communem, ac Baronianam euertat æram; nouam autem illam, & Dekeriana longè capitaliorem aſtruat.

Habes igitur quod querulis illis opponas. Nam neque anticipatrix illa natalis Dominici coniectura, Catholicæ, aut Romanæ fidei de-

cretis contraria eſt; immo ad amuſſim cum ea cõſentiens, vt Romanis ipſis approbatoribus placet: neque nos tamen hanc qualemcumque, tueri, ac ſequi voluimus. Quorum alterutrum ad purgandum opus meum ſatis eſſe poterat: vtrumque verò nullum in poſterum vel obtrectandi exteris, ac maleuolis, vel noſtris mecum expoſtulandi locum debet relinquere.

Te ad extremum precor, vt me meáque omnia ſic amare, tueríque pergas, viciſſim te vt coli à nobis, amaríque confidas. Vale.

EPISTOLA XIV.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Louanium.

FREQVENS mihi de te ſermo (CL. VENDELINE) cum Heriberto Roſweydo nòſtro per litteras fuit; cùm te is hominem Mathematicarum artium, & imprimis Aſtrologiæ ſcientia præſtantem eſſe diceret: idémque cùm ex aliorum fama didiciſſem; tum ex nupera tua lucubratione doctiſſima ſpecimen aliquod ipſe cepiſſem. Quæ res amorem in me primùm excitauit tui; tum notitiæ, conſuetudiníſque tecum ineundæ deſiderium accendit. De quo cùm ad Roſweydum noſtrum ſemel, iterúmque ſcripſiſſem; illius ſe conciliandæ ſequeſtrem, atque interpretem fore pollicitus eſt:

ac nuperrimè id vt aggredi auderem, non hortatus est solùm; sed eam rem tibi gratissimam fore significauit. Neque verò genus illud mutuæ scriptionis persequor, quod nihil admodùm, præter simplicem, & inanem beneuolentiæ, ac voluntatis ostensionem continet; cuiusmodi ferè quotidianarum epistolarum argumenta esse solent: sed actuosum, ac necessariis de rebus, præsertim quæ ad doctrinarum studia pertinent, susceptum. Id adeò verum vt esse cognoscas, certis de Astrologia quæstionibus initium à me huic litterario commercio dabitur: de quibus veterem mihi à te scrupulum, immo inscitiam, eximi valdè cupiam.

Harum prima sit illa de Lunæ diametris apparentibus: quarum in coniunctionibus & oppositionibus parem esse magnitudinem, omnes ante Tychonem Astrologi crediderunt, princeps omnium Tycho maiores in oppositionibus esse, quàm in coniunctionibus animaduertit. Quæ res in defectionum Solarium æstimanda quantitate magnam varietatem affert. Etenim ex Tychonis hypothesi nunquam Lunæ interuentu totus Sol obduci poterit. quod tamen secus interdum accidit. Nam & Sol totus aliquando defecit: & eiusmodi à se visum in Lusitania deliquium, Clauius anno Christi MDLX memoriæ prodidit; vt in libro de Optica Astronomica, capite VIII Keplerus affirmat. Taceo non pauca similium exempla deliquiorum, quæ in Annalibus, & historiis non semel occurrunt. Quorum omnium damnare fidem te-

merarij hominis sit; ne dicam impudentis. His de caussis Keplerus ille, quem dixi, Mathematicus hac ætate celebris, Tychonicæ opinioni tot sæculorum, scriptorúmque testimonia, imprimísque Clauij, non dubitauit anteferre. Verùm vt Tychonis auctoritate spretâ, τὸ τῶν διαμέτρων ὁμαλὸν sequamur; non minor quæstio, ac difficultas orietur. Nam plerasque constat Solis defectiones non *totales*, vt vocant, fuisse; quas integras vetus illa methodus exhibebit. Ne longè exempla repetantur. Anno ecce Christi MDCXXI, Maij XX ex Gregoriana recensione, Sol defecit; non vtique totus. Nam & Lutetiæ, sub octauam horam (quo tempore maxima fuit obscuratio) etsi Solis aspectum turbidus, ac nebulosus aër interceperit: non tamen caligo tanta extitit, vt integrum sidus defecisse crederes. Qui autem Gergobinæ ad Elauerem. (Id oppidum est, quod Molinas hodie vocant, quódque ab Auarico Biturigum bidui fere distat.) tum Fixæ Andegauorum deficientem Solem viderunt, bessem circiter, aut, ad summum, dodrantem obscuratum fuisse, testati sunt.

At anno illo Christi MDLX, quem designauit Clauius, Tychonicæ diametri decem ferè digitorum eclipsin referunt. Equidem si ex voto meo res agatur, ac per Astrologiam vestram liceat, priscam illam τῶν διαμέτρων ὁμαλίαν Tychonis regulis libenter antepośuerim. Est enim rationibus nostris, & historicis obseruationibus consentanea magis. Cuius rei insigne ha-

bes exemplum in illa Solis defectione; quam tum accidisse refert Herodotus, cùm Cyaxares cum Alyatte pugnabat: quam hactenus ab astrorum, temporúmque consultis diu ac frustra quæsitam nos in annum Per. Iul. 4117, ineunte quarto Olymp. XLV, coniicimus: vt est in lib. x. de Doct. Temp. cap. 1. Hæc ipsa verò, si Tychonis abaco vtimur, paulo plus dodrante colligit. sin diametrorum æquabilitatem retines, longè maior existet.

Caput est alterum inquisitionis nostræ, super æquatione temporis, quæ ad compensandam dierum inæqualitatem assumitur. Nam Christianus Longomontanus Tychonis discipulus lib. I Theor. cap. II, pag. 42, vnicam caussam inæqualitatis illius retinuit; quæ ex obliquitate arcuum eclipticæ nascitur: eiúsque tabulam ad Solares etiam motus accommodatam præbuit cap. III. pag. 59; damnatis reliquis, & ea maximè, quæ ex Solaris motus inæqualitate, & distantia ab apogeo petitur. Quod etsi naturæ ipsi, ἀποδείξει repugnare videtur: nos tamen vt tirones nostros tricarum istiusmodi molestia liberaremus, simplicem illam & παχυτέραν Longomontani methodum in tabulis Parisinis vsurpauimus. Tu velim quid ea de re sentias, nobis explices.

Tertium, quod abs te sciscitari libet, in eodem opere de Doctrina Temporum libro VIII, cap. VIII proposuimus p. 726, & 727. Vbi de Prosthaphæretico tempore non leuis dubitatio animis nostris insederat: ecquid ad illius puta-

tionem verus horarius motus (quod hactenus Astronomi omnes fecerant) an medius (quod solus Mullerius præstitit) adhibendus videatur. Tu velim, locum illum consulas, & expendas. vbi tamen in paradigmate p. 727 error irrepsit in calculo latitudinis Lunæ. Nam pro 10, 19, 36′, 21″; scribendum, 5 23, 33′, 36″.

Hæc sunt, eruditissime Vendeline, de quibus consulendum te modò putaui: ad quæ velim, quod tuo commodo fiat, pro tua humanitate, prudentiáque respondeas.

Nos Diatribam de Diluuio tuam in dies expectamus. De quodam Ciceronis loco Rosweydus nescio quid indicauit. Ego verò de huius loci sententia non valdè tibi repugnem: de Olympiadum verò tempore nouæ illi, quam contra scripsimus, opinioni nullo modo concesserim: &, nisi fallor, ἀποδείξει, cuiusmodi in istiusmodi esse potest, communem sententiam adstruximus. Vale, méque tuis apud communem Dominum precibus, sanctísque sacrificiis commendatum habe. Lutet. Parisiorum. Octobris XXII. A. MDCXXVII.

EPISTOLA XV.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Antuerpiam.

SATIS longam epistolam tuam perbreuem fecerunt tot illa condimenta primùm do-

ctrinæ multiplicis, ac reconditæ; tum æquitatis, ac φιλαληθείας: cuius cùm in ceteris partibus, tum in ea præſertim, quæ de tempeſtate Olympiadum erat, iucundiſſimam ſignificationem dediſti. Ibi enim, etſi contrà, atque ego, ſentires, ſic opinionem affirmaſti tuam, noſtræ vt nihilominus rationem haberes: & conciliatorem te partis vtriuſque, quàm alterius oppugnatorem eſſe malles. Ego verò, cùm in altero vinci abs te me patiar: alterum certè imitando conſequar; pari vt æquitatis in diſputando, ac veritatis tibi amore reſpondeam. Quod ipſum eâdem ab illâ, quam poſtremam in epiſtolâ tuâ poſuiſti, Olympiadum quæſtione ὕστερον πρότερον aggrediar.

Scribis de Olympici ludicri καιρῷ diſſenſionem noſtram ita poſſe componi ſi id conſtituatur; Iphiti ſæculo Solſtitium æſtiuum celebrandis iis ludis eſſe delectum: poſteà verò, paulatim prolabentibus neomeniis, ſub ætatem Xerxis, ſolidis duobus menſibus peſſum epocham iſſe, & ad Parthenonem à Carcinone migraſſe. ibi, ne vlteriùs excurreret, Metonis enneadecaëteride, quaſi iniecto freno, eſſe cohibitam. Hoc ſi ritè abs te probetur; viceris ſanè: ego in tuam ſententiam ſponte diſcedam.

Duo ſunt omninò, quibus illud efficere ſtudes, argumenta: quorum alterum Herodoti, ac Thucydidis comparatis inter ſe teſtimoniis; alterum Philoſtrati auctoritate nititur. Herodotus imprimis libro ſeptimo, per id tempus refert, quo Leonidas ceet rrnrentis Spartanis,

ceterísque sociis ad Thermopylas occupandas profectus est, Lacedæmonios, reliquas suas, sociorúmque copias cogere in vnum statuisse celebratis Carniis, & Olympiis: quorum tempus amborum in hæc negotia commodùm inciderat. Rursus idem Herodotus octauo libro: Olympia iam, inquit, & Carnia præterierant, cùm nunciata clade Leonidæ, Isthmus muro vallaretur. Igitur in vnum eundémque mensem Carnea, & Olympia cadebant. Atqui Carneus mensis: quem vtique sic appellabant, quòd in eo Carnia peragebantur, extremus æstiuorum fuit, vt libro v. Thucydides docet. Ergo & Olympici agones in tempus exeuntis æstatis incubuerunt.

Alterum testimonium ex Philostrato sumitur, qui Apollonium scribit sub initium autumni in Græciam nauigasse, atque ad Olympia venisse. Hæc sunt caussæ tuæ firmamenta præcipua: quæ nos tamen de susceptâ sententiâ dimouere non possunt. Etenim primum illud de Carneis eam vim habet, opinor, non vt Olympia cum Carneis autumni initio; sed vt Carnea cum Olympiis per illud tempus æstate, hoc est, sub ipsum Solstitium, celebratá fuerint. Nam quòd Olympicus agon septuagesimusquintus, in quem Xerxis expeditio conuenit, longè ante cardinem autumnalem, adeóque æstiua tempestate, commissus fuerit, testis est Herodotus. Scribit is octauo libro, nauale Persarum ad Artemisium certamen media æstiua tempestate contigisse. ἦν μὲν τῆς ὥρης μέσον θέ-

ces. At ſubinde Olympica ludicra commiſſa docet idem pag. 298. Quippe poſt Leonidæ, Spartanorúmque cladem, naualis ad Artemiſium pugna conſeritur. Secundùm hanc Perſica claſſis ab Artemiſio in Hiſtiæum appulit. Xerxes verò, cùm ad Thermopylas viginti Perſarum millia cecidiſſent, Græcorum quatuor millia; ne tantæ ſuorum ſtragis indicium extaret, ac terrore ceteros impleret; mille tantùm relinqui; reliqua omnia cadauera humo iuſſit obrui. Inde ſocios claſſiarios ad ſpectaculum exciuit: quibus longè pauciores Perſas, quàm Græcos occubuiſſe vaniſſimo commento perſuaderi voluit. Interim transfugæ ab Arcadia veniunt ad Perſas. qui percontantibus quid rerum Græci tunc agerent, reſponderunt, illos Olympicis ludis intenros eſſe. Quocircà cùm prælium ad Thermopylas paululum μέσον τὸ θέρος anteceſſerit; quo tempore ferè ad Artemiſium pugnatum eſſe dicit Herodotus: Olympia verò non multo poſteà celebrata ſint; cùm cæſorum cadauera adhuc inſepulta iacerenr: quis non videt mediam circiter æſtatem Olympicos ludos occupaſſe?

At enim Carnea eodem ferè tempore, quo Olympia, peracta ſunt. Fateor. ſed vel ſtatione ſua dimoueri menſis iſte potuit, annali quapiam, vti fit, interueniente labe: vel Carnea conceptiua fuerint; vt apud Romanos Latinæ feriæ: vel eiuſmodi aliquid ignotum nobis acciderit, ſiue iſto anno; ſiue altero, quem Thucydides deſignat. Vt ambiguum ſit, æſtiuum

tempus, an autumnale, propria, & naturalis Carnei mensis sedes fuerit, à quâ nonnunquam alienam in tempestatem seu lunaris calculi vitio, siue de industria migrauerit. Nam quod ad ordinarium illius situm attinet; cùm Plutarchus in Nicia καρνεῖον μῆνα apud Syracusanos Attico Metagitnioni respondere dicat; videtur & apud Lacedæmonios idem illi tributus esse locus: à quo tamen interdum in anteriora, vel consequentia promoueri potuit.

De Philostrato, si attentè legeris, næ tu aliter senties. Non enim Apollonius Olympiadicorum certaminum tempore, aut ad eam celebritatem affuit, cùm ex Italia fugeret; vt interpretaris: sed in Olympiam, id est, locum ipsum peruenit, vbi agones illi committi solebant. Quibus cùm Græci perfuncti iam essent, & in patrias suas reuertissent; simulatque nunciatum est eò Apollonium ex Italiâ venisse: tam inusitatæ rei famâ concitati; tum illius videndi, audiendíque studio permoti, frequentes accurrerunt. Itaque Philostr. lib. VIII, c. VI non illum dicit εἰς Ολύμπια venisse, sed ἐς Ολυμπίαν. In quo Latinus interpres haud probè, qui identidem, *in Olympia* vertit: vel *ad Olympiadem.*

Sanè cùm capite VII importunum iuuenem Domitiani fautorem ita compescit, πέπαυσο Ολυμπιάσιν ὑπὲρ τούτων ἐρωτῶν, non minùs, Ολυμπιάσι pro loco ipso, atque adeò pro Ολυμπίᾳ, vsurpari censeo. Siquidem, vt eodem capite planus iste dicit, πανήγυρις non solùm τὴν τῶν αὐ-

δρῶν σινόδων, ſed etiam locum ipſum ſignificat.

Vnus eſt Ciceronis locus, qui opinioni tuæ fauere videtur. Hic enim lib. XVI epiſt. ad Att. epiſtolâ VII gratulatur ſe, cùm VII Eid. Sext. à Leucopetra profectus eſſet in Græciam, Auſtro vehementi ad eandem Leucopetram reiectum, ne ad Olympia nauigaſſe putaretur. Hoc vt ad mentem tuam interpretemur, nempe in Auguſtum Olympia ceciderint. Hecatombæon Calippicus cœpit anno illo; qui Iulianus ſecundus, periodi Calippicæ quartæ quinquageſimus nonus fuit; die XVI Iulij, feria V. Proinde Metagitnion Auguſti XV. Exeunte ergo Sextili agones in Olympia celebrati ſunt, ſi in Plenilunio id actum ſit; non Boëdromione. ſed de Ciceronis loco illo ampliùs cogitandum. Etſi probabile eſt, Olympicos ludos certis de cauſſis, velut ob tempeſtates, aut peſtilentiam, aut id genus alia, in vnum, vel etiam alterum menſem reiectos fuiſſe. Quippe qui in ſequentem etiam annum dilati quandoque fuerint: quod Neronis tempore, eodem iubente accidit. Sed de Olympico ludicro nimium multa: nunc ad μυστικώτερα pergamus.

De ſemidiametris lunaribus pæne perſuaſus ſum: præſertim ſi Tychonicis detrahatur aliquid. quas vno plerumque ſcrupulo longiores eſſe Longomontano videtur lib. 1 Theor. pag. 174. Poterit ad hanc controuerſiam dirimendam operæpretium aliquod facere Solis illa defectio, quæ anno M DC XXX, Iunij X continget. Hanç enim integram æquabilium ſe-

midiametrorum methodus exhibet. Tychonicæ verò digitorum plus minùs xi, 20'.

De temporis peræquatione vereor vt obtinere possis. Nam vt propter signiferi λοξότητα dierum anomaliam incidere, vincit ratio : sic ex inæqualitate Solaris sub ecliptica motus, quam ἐκκεντρότης efficit, inæquales oriri dies, non minùs illa persuadet. Esto enim, exempli caussa, Sol verò situ in Arietis puncto ; sítque prosthaphæresis adiicienda graduum 2, 2'. 0''. Medium æquinoctium erit in gradu Piscium 27, 58', 0''. Gradus 2, 2', diurno motu minuta horaria postulant 8'. 8''. quibus apparens tempus medio maius est; atque idcirco de æquabili tempore scrupula totidem auferenda sunt, vti χρονικὸν, & apparens existat. Atenim ex accuratissimis tuis obseruationibus superuacaneum id esse genus æquationis asseris.

Verùm aut in tabulas tuas, aut in epocham, siue radicem conferri culpa potest ; quarum alterutris plusculum attributum sit. Quiduis denique potius affirmandum videatur, quàm vt euidentissimæ ἀποδείξει fidem abrogemus. Sed de obseruationibus tuis paulò pòst. Antequam à peræquandi temporis ratione discedam, vnum abs te sciscitabor, quid de Ptolemaica, ceterorúmque πράξει hoc in negotio statuendum putes : qui non minùs epochæ, siue radicis, quàm propositi temporis, medios motus, & ascensiones rectas colligi iubent, ac priores è posterioribus subtrahi. Atqui radicis tempus, cùm æquabile ferè sit, non φυσικὸν, peræquatio-

nem nullam desiderat, quæ hac illi methodo tribuitur. Nonne breuiùs ac certiùs eôdem peruenire licet, si propositi tantummodo temporis medij motus, ascensionésque rectæ inter se conferantur? Hoc tu mihi velim respondeas.

Vt ad obseruationes tuas modò veniam; valdè in iis multa sunt, quæ me mouent. Has enim ad Parisinas tabulas nostras diligenter exegi: de quibus tabulis pauca quædam commemoranda sunt. Cùm igitur ad has condendas modum lunaris anni Prutenicum cum eiusdem generis, hoc est Prutenicarum tabularum epochâ, siue radice tam epactarum, quàm anomaliæ lunaris assumpsissem: quarum illa Tychonicâ maior est scrupulis horariis 18′, 39″: hæc scrupulis ferè 12′ gradus vnius, animaduerti posteà satius esse Tychonicam vtrobique epocham siue radicem adhibere. Quod ex postrema illa lunæ defectione potissimùm didici, quæ Ianuarij xx hoc anno commissa est. Hanc enim Parisinæ tabulæ citiùs reddunt, quàm reipsa deprehensa fuerit. Nam eius medium conferunt in horam 9, 0′ post meridiem. initium hora 7, 5′. moræ initium hora 8, 12′. finem moræ hora 9, 48′. Duratio moræ hora 1, 36′. Toti eclipsi competunt horæ 3, 50′. Tychonicæ quoque tabulæ medium eiusdem hora 9, 6′. reddunt in meridiano Parisiensi: cetera itidem vt nostræ. Danicæ quoque tabulæ Longomontani eodem cum Tychonicis momento repræsentant. Alphonsinæ veræ syzygiæ momen-

mentum hora nona, 11′, 16″. Atqui longè post illa tempora vera oppositio contigit. Sanè intercurrentibus identidem nubibus, & lunæ, siderúmque prospectum eripientibus, solum obscurationis initium, ac moræ; neutrius verò finis accuratè deprehendi potuit. Videtur itaque illius initium sub horam à meridie septimam, 30′ incurrisse. Nam alius 7, 27′; alius 7, 35′ notauit. Est in hac vrbe peritissimus quidam obseruandi artifex, & affabrè factis, atque exquisitis instrumentis præditus, qui τήρησιν suam nobiscum communicauit. In ipso puncto ingressionis in vmbram Caniculæ altitudinem obseruabat Gr. 28, 3′, 20″. initio moræ Gr. 36, 20′. Paulò post finem deliquij (nam moræ exitus prorsus animaduerti non potuit) altitudo erat Arcturi, Gr. 9, 30′. Ex quibus initium eclipsis congruere videtur in horam 7. 35. Moræ initium hora 8, 35′. Finis deliquij totius hora 11, 7. Quæ omnia non solùm à Parisinarum; sed etiam Tychonicarum, & Alphonsinarum tabularum ψηφισμοῖς nimium distant. Ob id Tychonicam radicem Prutenicæ anteferendam censui. Ad hunc modum recensitis Parisinis tabulis, rursum deliquij istius epilogismum ad calculos reduximus. Est autem longitudo Parisiensis grad. circiter 24, 25′. Initium itaque defectionis sub horam cadit à meridie 7, 23′, 11″. Moræ initium hora 8, 29′. finis moræ hora 10, 7. finis eclipsis hora 11, 13. In illa descriptione, quam in calcem libri VIII de Doct. Temporum coniecimus,

quædam per imprudentiam ſunt notata præpoſterè. Cùm enim prosthaphæreticum tempus ſubtrahendum eſſet horarum 5, 37'; ídque de media ſyzygia, id eſt hora 2, 50' poſt mediam noctem eximendum eſſet; vti reliquæ fierent horæ 9, 24'. nos pro 9. horis, 8 ſcripſimus. quæ labes in cetera redundauit. Ita cùm dimidiæ durationis ſcrupula ſint 62', & motus horarius 32', ex quo ſcrupulis 62' competit hora 1, 56'. nos horam 1, 40' attribuimus. Hæc igitur caſtiganda ſunt. Spero ad illum, quem dixi modum, conformatâ radice, omnium, quæ quidem extant hodie, Pariſinas tabulas exquiſitiſſimas fore. Ceterùm ad recentiorem illum epilogiſmum, vtramque temporis æquationem aſſumpſimus. Quod ſi alteram, quam cum Longomontano detrahis, abiudicaſſem, quæ 4' ferè ſcrup. colligit, enimuerò propiùs ad obſeruationem ratio noſtra perueniret. Age verò quemadmodum cum obſeruationibus tuis tabulæ iſtæ conſentiant, periculum faciamus. Tres ſunt à te propoſitæ Lunæ defectiones: quarum prima anno MDCXVI Romæ, vt ais, inuenta fuit hora 3, 20' poſt mediam noctem. ſecunda Bethaſiis obſeruata eſt anno MDCXXIV, Sept. XXVI; cuius medium incidit in horam 8, 20 à meridie. tertia denique anno MDCXXV eodem in loco deprehenſa eſt hora 1, 32' à media nocte Martij XXIV. Ex iis Lunæ defectionibus, media cum abaco noſtro admirabiliter conuenit: reliquæ duæ plurimum abhorrent; poſtrema maximè. Subiiciam è Pariſinis tabulis trium

illarum calculum : vt dere tota certius possit à te fieri iudicium.

Calculus pleniluny ecliptici, quod anno MDCXVI *contigit Augusti* XVIII.

Plenilunium medium incidit Lutetiæ hora 7,37′,15″ à media nocte diei 18 Aug. ad quod tempus ij motus conueniunt.

Longit. Solis	*Anom. Solis*
M. Sec.	*M. Sec.*
5. 5. 52. 1	1. 29. 52. 32
Anom. Lunæ	*Motus Latitud.*
M. Sec.	*M. Sec.*
6. 10. 20. 54	11. 26. 38. 16

Prosthaphæresis exactissima Solis est 1,44′,1″ S. Lunæ 0. 41′. 27″. A. Summa prosthaphæreseon 2,25′,28″, quæ horas efficiunt 4, 46, 26′ subtrahendas ; vt sit Plenilunium verum tempore communi. Lutetiæ commissum est hora 2, 50′, 49″ à media nocte. Romæ verò hora 3,40′,49″. Æquatio temporis est 40″ S Plenilunium ergo hora 3, 40 præcisè.

Calculus Pleniluny ecliptici, quod anno MDCXXIV, *Sept.* XXVI, *accidit*

Media oppositio cadit in Sept. XXVII, hora 8, 43′, 54″ si radicem Prutenicam assumimus : ex Tychonicâ verò, hora 9, 2, 43′, Lutetiæ Bethasiis, hora, vt opinor 9, 11′, 13″. Quamuis enim Bethasiorum tuorum longitudo minimè abs te concipitur, tamen ita ratiocinabar : quoniam tabulæ Prutenicæ Louaniensem meridianum horæ 1, 24′ interuallo distantem faciunt

occidentem verſus à Monte regio Boruſſiæ; meridianus porrò Lutetiæ hora integra cum ſcrup. 31′ occidentem verſus ab eodem meridiano remotus eſt, conſequens eſſe, vti 7′ horariorum ſcrupulorum diſcrimen ſit inter Louanienſem & Pariſienſem; ſi hic graduum in longit. 24. præcisè ponatur. quòd ſi graduum ſit 24, 25′, vt Longomontano placet, diſtabit ſcrup. circiter 5′. Quamobrem, cùm Bethaſij tui ſex Brabanticis leucis ad orientem diſtent Louanio: quæ horaria ſcrupula colligunt 1′, 30″ circiter, ex eo fit vt Lutetia diſtet à Bethaſienſi meridiano, ſi grad. ſit 24; hora 0, 8, 30″. quibus ad horam 9, 2′, 43″ adiectis, efficitur oppoſitio media Bethaſiis hora 9, 11′, 13″. ad quod tempus hi ſunt medij motus.

Longitudo Solis				*Anom. Solis*			
		M.	*Sec.*			*M.*	*Sec.*
6.	6.	32	27	3.	0.	23	38
Anom. Lunæ				*Motus Latitud.*			
		M.	*Sec.*			*M.*	*Sec.*
8.	11.	49	5	6.	3.	41	31.

Proſthaphæreſis exacta Solis 2. 2′ 42″ S. Lunæ 4, 23′, 32′ A. Summa, 6. 36′, 4″ horæ 13 præcisè, ſubtrahendæ. Plenilunium verum Bethaſiis Sept. XXVI, hora 8, 11′, 13″ à meridie. Medius motus in longitudinem Solis tempore veræ ſyzygiæ eſt 6. 6. 0′ 25″. Verus 6. 3. 57′, 43″. Aſcenſio recta veri loci, 6. 3, 37″. Differentia medij motus & aſcenſionis, grad. 2, 23′. quibus competunt horaria ſcrup. 9′, 32″. Quoniam aſcenſio recta minor eſt medio motu, ideo adiicienda eſt

æquatio temporis ad commune tempus. Oppositio itaque vera physico tempore contigit Bethasiis hora 8, 20′, 45″ à meridie. Motus latitudinis medius tempore veræ Oppositionis 5, 26, 31′, 33″. Verus autem 6, 1, 44′, 55″. Latitudo vera australis, 5′, 40″. Lunæ semidiameter est 16′, 19″. Vmbræ castigata, 45′, 5″. Summa semidametrorum, 61′, 24″. Scrupula incidentiæ 61′, 7″. Scrupula moræ dimidiæ, 28′, 2″. Motus horarius verus 31′, 24″. Ergo dimidia duratio postulat horam 1, 51′, 47″. Dimidia mora hor. 0. 51, 47″.

Initium eclipsis hora	6, 28′, 58″
Moræ initium hora	7, 28, 58
Medium eclipsis hora	8, 20, 45
Finis moræ hora	9, 12, 32
Finis eclipsis hora	10, 12, 32
Tota duratio moræ hora	1, 43, 34
Tota defectio tenuit hor.	3, 43, 34

Ex tua delineatione.

6. 28′ 0″	Post meridiem Sept. 26
7. 30 0	
8. 20 0	
9. 10′ 0″	
10. 12′ 0″	
1. 40 0	
3. 44′ 0″	

Calculus Plenilunij ecliptici, quod incurrit in annum MDCXXV, *Martio mense.*

Plenilunium medium Lutetiæ contigit Martij XXIII hora 13, 26′, 51″, à media nocte Bethasiis hora 13, 35′, 21″.

Longit. Solis	*Anom. Solis*
M. Sec.	*M. Sec.*
0. 1. 11. 52	8. 25. 1. 33
Anom. Lunæ	*Motus Latitud.*
M. Sec.	*M. Sec.*
1. 16. 55. 5	0. 7. 42. 54

Prosthaph. exquisita { ☉ 2, 2′, 47″ A ☽ 3, 55′, 24″ S.

Summa 5. 58′, 11″. Horæ 11, 45′ A.

Oppositio vera contigit Bethasiis hora 1, 20′, 31″ diei xxiv Martij. Motus medius Solis 0. 1, 40′, 41″. Verus, 0, 3, 43′, 26′. Ascensio recta veri loci gr. 0. 3, 24′. maior est motu medio gr. 1. 43′. quibus competunt horaria scrup. 6′, 52″. S. Plenilunium physico tempore Bethasiis acciderit hora 1, 13, 29″. Motus Latitudinis medius 0. 14, 11′, 17″. Verus, 0. 10, 16′, 9′. Latitudo vera 53′, 8″. Summa semidiametrorum 59′, 10″. Ergo eclipsis fuit digitorum 2, 13′. Scrupula incidentiæ 26′, 2″. Motus horarius 29′, 52″. Postulat igitur incidentia horam 0. 52′, 2″.

Initium eclipsis Bethasiis	hora 0. 21′, 27″
Medium	hora 1. 13, 29
Finis	hora 2, 5, 31
Durauit	horam 1. 44, 4.

At ex epilogismo tuo

Initium hora 1 4	à med. nocte diei 24 Martij
Medium hora 1 32	
Finis hora 2 0	
Durauit horam 0 56	

Ex his Pleniluniis secundum cum obseruatione tua paria facit; prorsus vt admiranda sit tam

exacta concordia: primum, & tertium magnoperè discrepant. Illud scrup. 20′. istud initio scrup. 42′ 33″. in medio scrup. 18′. 31″, in fine scrup. 5′. 31″. Quamobrem dubia mihi est obseruatio: vel in litteris tuis erroris aliquid irrepsit. Primùm quia verisimile non est tantulo tempore transactam fuisse, vt horam non expleuerit. Deinde quia Tychonicæ tabulæ longiùs etiam ab obseruatione quàm Parisinæ, recedunt. Nam oppositionem veram conferunt in horam 1, 0′, 35″. Vnde initium cadet in horam 0, 8′, 33″. Discrimen huius & obseruationis, scrup. 55′. 27″ quod immane est. Vide sis igitur, amabo te, ecquid te aduersaria tua fefellerint. ac, si ita videtur, summam τηρήσεως, id est altitudines stellarum aliquot abs te per illud tempus notatas adscribito: tum medios ipsos motus ex tabulis tuis expromptos. quæ quidem cuiusmodi sint scire admodum cupiam. Mirum enim est, quod tu scribis, citra æquationem dierum, accuratissimè momentum obseruationis ex illis esse confectum. Velim & eclipseos nouissimæ hoc anno conspectæ modum, ac rationem perscribas. Neque enim acerrimos oculos tuos etiam tenebris obducta Cynthia latere potuit.

Ad extremum de Gemino quod percontaris; scito me initiò cùm Opus illud de Temporum Doctrina meditarer Chronicon nullum, hoc est τὸ τῆς τέχνης ἀποτέλεσμα, conficere, atque adiungere voluisse. Sed Appendicem Scriptorum aliquot maximè Græcorum, qui de Com-

putiſtica methodo, & iſtiuſmodi argumento dignum aliquid edidiſſent: quorum penes me copiam nonnullam habebām. Inter hos Gemino locum ſuum deſtinaueram; cuius tum liber ad manum erat ex bibliotheca Thuana. Nam alterum exemplum nullo pretio comparare poſſis. Neque enim Luteriæ, quod equidem ſciam, extat aliud. Verùm Typographi rationes conſilium meum omne diſturbarunt. Hic enim Chronologicum à me ſpecimen improbè flagitauit: quod in calcem operis coniectum cùm maiorem in molem poſteriorem tomum exaggeraſſet, viſum eſt prius illud in aliud tempus reiici oportere. Eſt autem, quoniam & hoc ſcire voluiſti, Geminus Græcè, Latinéque Lugduni Batauorum editus anno 1603 quam editionem ſecundam oportet eſſe: nam ab Scaligero diu ante hoc tempus laudabatur Geminus. Auctor eſt eximius, & à me diligentiſſimè perlectus: cuius, vti dixi, nouam ἔκδοσιν non deſpero. Tu de Hipparcho tuo ſedulò fac cogites: de cuius verſione nihil comperi. Vellem & Theonis εἰς τοὺς προχείρους κανόνας liceret adiungere. qui ψηφοφορίαν omnem Solis ac Lunæ complectitur, & in pleriſque bibliothecis cum blattis, tineíſque confligit. Sed à typographis ægrè illud exprimas: qui in librorum editione non bonitatem, ſed compendium æſtimant. Gaudeo tamen te Hipparcheum tuum φιλοπόνημα reperiſſe cui tandem induceres. Nihil abs te prodibit, niſi te, tuáque quam vnicè veneror, & exoſculor, ſcientia, & eruditione dignum.

Vale. Dominus te litium, ac forensium tricarum laqueis expeditum quàm diutissimè saluum, & incolumem nobis, ac communibus litteris conseruet. Ego id abs te vicissim, postremóque petam, vti mei sanctissimis tuis in precibus sacrísque memineris. Lutetiæ Parisiorum VI. Cal. Martias A. CIƆIƆCXXVIII.

EPISTOLA XVI.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Bruxellas.

PAVLO postquàm posteriores tuas accepi, allatus est mihi ex Hispania liber, contra ea, quæ de anno Græco, & aliis quibusdam primo de Doctrina temporum libro disputaueram, editus à Iurisconsulto nescio quo: qui laureolam sibi ex hoc mustaceo quæsiuit. De quo quid sentiam, non est huius loci dicere. Cuius autem gratiâ ista retuli; coniicere potes, quàm cupidè quicquid erat libri deuorarim. Itaque sepositis tantisper curis ceteris, in id intentus vnum, pæne sum tuarum litterarum oblitus. Accessit & commotiuncula quædam ex ποδαλγίᾳ, quæ me dies aliquot primùm lectulo; deinde cubiculo affixit. Inter has moras exciderunt mihi litteræ tuæ: quas vt reperirem, excussi scrinia omnia, omnes forulos, & chartas. Nec is tamen laboris successus mihi, qui Euan-

gelicæ viduæ amiſſam drachmam requirenti, fuit. Quare quod à me litteris iſtis petieras: (nam petiiſſe te neſcio quid memini) hoc, quia cuiuſmodi ſit neſcio, perficere modò nequeo. Poſthac verò, ſi eas litteras nactus fuero, aut ſi eadem denuò reſcripſeris, effectum dabo. Tametſi litteris iſtis minimè expectationi reſponderas meæ. Dederam enim anteà longiſſimas: quibus & ad ea, quæ in prioribus tuis poſueras, accuratiſſimè reſpondebam: & alia prætereà percontabar: de quibus miror te mentionem feciſſe nullam. Nam illas ad te perueniſſe certis auctoribus comperi. Vnum eſt, quo querelam noſtram paululum ſuſtines; quòd poſtremas, quas amiſi, properanter exaraſti. Hoc enim in illis recordor fuiſſe. Quam tu quoque ceſſationis meæ cauſſam ad ſuperiores adſcribas licet. Nam & pleniorum à te litterarum expectatio pigriorem me fecit. cui tu, quando voles, facies ſatis. Voles autem, ſi nos & litteras noſtras amas, quàm primum erit commodum. Rodolphinæ tabulæ à Keplero editæ ex Tychonis doctrina prodierunt. De his quod tuum ſit iudicium aueo ſcire. Vale interim, méque, vt cœpiſti, & amare, & communi Domino commendare perge.



EPISTOLA XVII.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Bruxellas.

MOVEBAR aliquantulum cessatione tua, quòd cùm longiores ad te litteras dedissem, variísque de rebus percontatus essem, nihil abs te vicissim exiret, præter perbreues illas; quibus, quasi meas nondum vidisses, quas tamen datas tibi constabat; alia omnia perscripseras. Sed extra culpam fuisse te, allatæ postremò pleniores litteræ tuæ fidem fecerunt: quas Maio mense abs te datas Septembri exeunte circiter accepi. Id quemadmodum, ac cuius culpâ contigerit, meliùs de eo cognosces, cui perferendas ad nos tradideras; quàm ego ab ignoto homine scire potui, qui mihi nescio quò properanti obiter eas in manum dedit.

Verùm quo diutiùs expectatæ sunt, eo desideratiores, ac iucundiores tarditate ipsâ fuerunt. Itaque non eas solùm cupidè legi: sed legendas etiam obtuli doctis hominibus, qui hîc sunt, in eo scientiæ genere, cuius tu hodie principatum tenes, cumprimis eruditi. quibus vehementer illa tua in obseruando fides, & industria probatur. Ac sunt alij, qui earum sibi copiam à me fieri magnoperè cupiunt: quod eò distuli, vt illas relegens ipse, ac coràm intuens,

ad ea, quæ scribis, responsionem nostram accommodare possem. Ac cùm duo sint illarum capita; alterum de Olympiacorum certaminum tempore; alterum de obseruationibus, & eclipsibus; posterius hîc quidem omittetur à nobis; quod nec ad inquirenda ista satis otij nunc habemus; neque propter eius festinationem, cui hasce committimus, longiores esse possumus.

Tua itaque ratio est; Olympicos agones videri autumno potiùs, quàm æstate commissos esse. Quod ex Polybij primùm auctoritate confici putas. Hic enim libro v, pag. 378 edit. Græcolat. professus est, se ab Olympiade CXL historiam ordiri suam. tum lib. v pag. 330, peracta æstate Olympiadis istius annum primum exisse dicit eo tempore, quo Saguntum Hannibal expugnauit. Id autem autumno contigit. Quare annus 1us Olympiadis autumno desiit. Hoc tuum est argumentũ. Mihi verò nihil inde concludi videtur aliud, quàm Polybium ab autumno annorum suorum initia cepisse. quod vltrò concedimus. Atqui de ludis ipsis agimus, non de ciuitatum popularibus annis; quos earum pleræque, post Macedonum, vt opinor, dominatum, ab autumno repetierunt: sic vt anno tetraëteridis illarum desinente quarto, ludi in Elide peracti sint: primus post confectos agones processerit. Hanc rationem putandorum annorum adhibitam à Polybio persuadet illud, quod Saguntinum excidium, & Hannibalis in hiberna profectio incidit in φθινόπωρον

eius anni Iuliani, quo ab æstiuis diebus annus Olympiadis cxl secundus inierat. In quo dignum illud est obseruatione, quod ex eodem Polybio collegisse mihi videor; Achæos, cùm à verno tempore, vel ineunte æstate, hoc est ortu Vergiliarum, annos hactenus auspicati essent: paulo ante Polybij tempus, instituisse ab autumno numerare. Etenim Polybius, cùm de Achæorum popularis anni principio, vel fine loquitur, particulam τότε adiicit; vel per tempus illud ita computatos annos fuisse significat. Sic initio libri v. τὸ μὲν οὖν μετὰ τὴν Ἀράτου τοῦ νεωτέρου στρατηγίαν ἔτος ἐτύγχανε διεληλυθὸς περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν. οὕτω γὰρ ἦγε τοὺς χρόνους τὸ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνος. Circa Vergiliarum ortum annos tunc inchoabant Achæi. quod Maio circiter exeunte sæculo isto fiebat, initio Geminorum. Item libro v, pag. 305 loco illo, quem affers, bis aduerbium τότε posuit. Nam de Arati magistratu loquens, ὁ δὲ χρόνος, ait, αὐτῷ τῆς ἀρχῆς μάλιστα ΤΟΤΕ πως διήρητο. τὰς γὰρ ἀρχαιρεσίας Αἰτωλοὶ μὲν ἐποίουν μετὰ τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν εὐθέως. Ἀχαιοὶ δὲ ΤΟΤΕ περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν. Mox, ἤδη δὲ τῆς θερείας ἐνισταμένης, καὶ μετειληφότος Ἀράτου τοῦ νεωτέρου τὴν στρατηγίαν, ἅμα πάντα τὰ πράγματα τὰς ἐπιβολὰς ἐλάμβανε, καὶ τὰς ἀρχάς. Tunc ait Achæos ab ortu Vergiliarum annum incepisse, θερείας ἀρχομένης; messis ineunte tempore, hoc est æstate. quod miror à te redditum, *peracta æstate*. Cùm igitur τότε ab ortu Pleiadis annum exorsos esse populares suos dicat; satis ostendit, aliud cùm ista scriberet, anni principium vsurpasse. ídque

adeo circa Vergiliarum occaſum; quomodo Ætolos ex antiquo feciſſe teſtis eſt non vno loco Polybius. Ita verum erit vtrumque, tam Polybium annos hiſtoriæ ſuæ ab autumno cœpiſſe, quàm Olympicos ludos in æſtatem mediam incidiſſe.

De Halicarnaſſenſi, & menſibus illis quatuor reſiduis ad explendum annum illum, quo reges Vrbe pulſi ſunt, mihi cum Onufrio conuenit. de quo habes libro x de Doctrina temporum, cap. XXI.

Quod ad Marcelli, & Criſpini Conſulatum attinet, digna ſanè res eſt quam diligentiùs perſcrutemur. Incidit is in annum vrbis Varronianum IↃXLVI, quo Olympias CXLIII celebrata eſt in Græcia. Liuius, & ex eo Onufrius, aliíque, per id tempus ineundo Conſulatui ſolemnem diem fuiſſe produnt Eidus Martias. Ianuarius porrò ſub idem tempus in Septembrem, vel Octobrem Iulianum cadebat; vt in libro II de Doct. temp. cap. LXXVII demonſtrauimus. Quare Nouembrem, vel Decembrem occupabat Martius, eóque tempore Criſpinus obiit ex vulnere. Nam Liuius lib. XXVII, *Exitu*, inquit, *huius anni. T. Quintius Coſ. Dictatore comitiorum, ludorúmque faciendorum cauſſa dicto T. Manlio Torquato, ex vulnere moritur.* Non igitur æſtiuo tempore, vti conücis, ſed hieme potiùs creati ſunt noui Conſules, & æſtate inſequente Olympia celebrata ſunt. Quæ res vt argumentationem tuam euertit; ſic admirationem habet, quòd ex eo con-

ſequens ſit, Marcelli, & Criſpini Conſulatum anno ferè ſolido eum ipſum anteuertiſſe, qui in faſtis vulgo tribuitur. Nam vt iniiſſe magiſtratum velimus illos Decembri Iuliano anni Per. Iul. 4505, à Palilibus annus V. C. Varronianus IↃXLV initium habuit, inſequens æſtas anni Per. Iul. 4506 ludos illos exhibuit, labente adhuc iſtorum Conſulatu. Atqui Liuius exitu anni, vtique Romani, mortuum eſſe Criſpinum ait, & à Dictatore comitia celebrata, cùm æſtate proxima, nempe anno Per. Iul. 4507, inſtarent Olympici ludi. Hîc igitur hæreo; ac neſcio an Liuius hallucinatus ſit, qui exitu anni facta iſta dixerit, quæ ineunte æſtate contigerunt. Dignus omninò eſt hic te vindice nodus, hoc eſt homine docto pariter, & acuto.

Thucydidis ille locus, quem ex libro v, pag. 379 edit. Vechel. profers, non id ſuadet, Olympia anno illo, ſaltem Auguſto celebrata. Nam Panathenæa maiora Hecatombæone fiebant, eiúſque XXIII die, vt author eſt Proclus lib. I Comment. in Timæum Platonis. At Hecatombæon ſæpe in Iunium incurrebat, ætate illa maximè, in qua lunaris annus Atticus plerumque fluctuabat. Neque tamen, vt ne in Auguſtum Olympia ciciderint, valdè repugnem; immo verò tardiùs etiam aliquando. quod ſuperioribus litteris faſſus eram, Ciceronis illo ex epiſtolis ad Atticum teſtimonio commotus. Verùm id legitimum tempus non fuit; ſed caſu aliquo incidit; quemadmodum Neronis iuſſu alio, quàm mos ferebat, anno

eadem illa ludicra peracta meminimus Nos de ſolemni, & ordinario tempore inter nos quærimus; quod ego mediam æſtatem arbitror fuiſſe; tu in autumnum relegas.

Ex hoc porrò Thucydidis loco Scaligeri nouus error animaduerti poteſt: qui pag. 86 Animad. Euſeb. ad annum CIƆCCCCLII notat, quocumque demum tempore inſtituta ſint Panathenæa, certum eſſe anno tertio Olympiadis inſtituta fuiſſe. Ex quo confirmari putat ea, quæ de methodo Atticæ, & Olympicæ periodi libro I de Emend. temp. & in Iſag. Canon. præſcripſit; vti nimirum ad methodum Atticæ, de Olympica detrahãtur anni XXXVIII. Quod commentum libro I de Doct. temp. euertimus. Hoc verò de Panathenæis quod ſcribit, falſum eſſe Thucydides oſtendit, qui eodem anno, & Olympia, & Panathenæa maiora celebrata refert.

De Nemeis, quod poſtremum obiicis, ſcito hæc duplicia fuiſſe, alia æſtiua, alia hiberna: vt libro I de Doct. temp. cap. XXXIII docuimus. Quibus adde ſcholia Pindari, quæ Nemea tradunt Panemi XII celebrari. Is Iunio, vel Iulio noſtro reſpondebat. Ergo *ex Nemeis Olympia* rectè dixit Ariſtoteles. Nam illa proximè, vt vides, Olympia præceſſerunt.

Poſtquam ea, quæ de Olympiadum tempore diſputaſti, penitus explicata ſunt; libet alia quædam abs te ſciſcitari, quæ me per hoſce dies plurimùm exercuerunt. Fortè enim accidit, vt de Ortu, & occaſu ſtellarum tam vero, quàm apparenti commentarer aliquid. Ad id

ſcri-

ſcriptorum veterum loca varia conquirenti, & examinanti mihi, Agatharchidæ apud Photium Cod. CCL, col. edit. Græcolat. 1375, perdifficilis occurrit, de quo quid ſentias ſcire à te peruelim. Scribit ille felicem Arabiam inter cetera mirificum hoc habere. ἀπὸ γὰρ Μαιμακτηριῶνος ὃς ἄγεται παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, οὐδεὶς ἀστὴρ τῶν ἑπτὰ φαίνεται μέχρι φυλακῆς πρώτης· ἐν δὲ Ποσειδεῶνι, μέχρι δευτέρας· ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς τῶν μηνῶν, κατὰ λόγον. Fac Mæmacterionem Octobri, vel Nouembri reſpondere. Ergóne ſeptem ſtellæ Cynoſuræ in Arabia occidunt? Nam de Cynoſura loqui videtur. Sin eſt vt maiorem, id eſt Helicen intelligat; doce, amabo te, quænam, & vbi ſeptem illæ ſint. Nam XXII circiter in illa notantur. tum quemadmodum Mæmacterione, ante primam vigiliam noctis, illarum nulla compareat; Poſideone verò, ante ſecundam vigiliam; & ita deinceps. Magno me tibi beneficio deuinxeris, ſi de ea re quod iudicium tuum ſit, accuratè perſcripſeris. Ecce autem ἄπορον aliud. Plinius lib. XVIII, cap. XXVI, Vergilias oriri dicit VI Eid. Maias. at libro II, cap. XLVII, diebus poſt æquinoctiũ autumnale XLIV occidere. Libro verò XVIII, c. XXV, ex Euctemonis ſententiâ occidere die XLVIII poſt æquinoctium autũnale. totidem & Varro l. I. de re Ruſt. c. XXVIII poſt vernum æquinoctium ortui præfinit; & Columella lib. IX, cap. XIV. Occidere porro Vergilias poſt æquinoctium autumni die XXX Varro ſcribit; Columella die XL. Plinius lib. XVIII, cap. XXV ſcribit Heſiodum ſtatuiſſe ma-

n

tutinum occasum Vergiliarum in æquinoctio autumnali: Thaletem xxv die ab æquinoctio: Anaximandrum, xxix: Euctemonem, xlviii. Apud Ptolemæum quoque libro de inerrantium significationibus, insignis est varietas. Ego verò Pleiadum ortus, occasúsque varios per triangula sphærica diligentissimè subducens, longè ab iis diuersa reperi. Nam cùm longitudo Pleiadum anno Christi CIƆIƆC à Tychone constituta sit in gradu ♉ 24, 24′: si, vt Longomontano placet, octauá sphæra in consequentia gradum vnum promouet annis LXXII, consequens est anno primo Iuliano longitudinem illarum fuisse in ♉ 1, 24′; At Thaletis Milesij sæculo, id est anno Per. Iul. 4113, in gradu ♈ 23, 14′. Metonis autem, & Euctemonis, id est anno Per. Iul. 4283, in gradu ♈ 26, 12′. Hesiodi porrò, si quidem is vixerit, vti nos coniecimus, anno Per. Iul. 3713, post ἅλωσιν Troianam, circiter annis CLXX; longitudo Pleiadum erat in ♈ 17, 34′. Quibus animaduersis, omnium illorum temporum ortus, occasúsque computaui. quorum indiculum subiiciam.

	Anno Per. Iul. 3713	*A. Per. Iul.* 4113
Occasus heliacus	♈ 2. 51′	♈ 9. 46′
Ortus cosmicus	♈ 9. 0	♈ 16. 0
Occasus acronychus	♈ 17. 0	♈ 24. 40′
Ortus heliacus	♈ 13. 42′	♉ 15. 53′
Ortus acronychus	☊ 9. 0	☊ 16. 0
Occasus cosmicus	☊ 17. 0.	☊ 24. 40′

Anno Per. Iul. 4283			*Anno Per. Iul.* 4669, *qui est Iulianus* I
Occaſus heliacus	♈	12. 42′	♈ 17. 46′
Ortus coſmicus	♈	19. 0′	♈ 22. 8′
Occaſus acronychus	♈	27. 44	♉ 3. 17′
Ortus heliacus	♉	18. 46′	♉ 29. 33′
Ortus acronychus	♌	19. 0′	♌ 22. 8′
Occaſus coſmicus	♌	27. 44′	♏ 3. 17′.

Conferantur ea modò cum illis quæ ex Plinio, Columella, & ceteris adduximus. Occaſus coſmicus anno I Iuliano cecidit in eum diem, quo Sol in gradu 3, 17′. Scorpij verſabatur: qui dies Octobris circiter XXVIII erat, ab æquinoctio Cæſaris, XXXV. Idem & in ceteris diſſidium ab obſeruationibus antiquorum. Verùm cùm occaſus coſmicus, ſiue matutinus, tunc fieri dicatur, cùm ſtella è diametro Solem obiecta reſpicit: non poteſt eo momento conſpici, quòd ſplendore Solis obducatur. Itaque dies aliquot emetiendi ſunt ad occaſum vſque φανερόν. quæ fortaſſe cauſſa veteribus fuit, vti longius interuallum matutino ſtellarum occaſui tribuerent. Tu velim ad ea mentem, & induſtriam aduertas tuam, atque id explices nobis, quantum ab occaſu coſmico putes intereſſe dierum ad apparentem ſtellæ φάσιν, & aſpectum; vtrum id ex crepuſculorum ratione pendeat; tum pro climatum differentia, & crepuſculorum, quantum ab occaſu Solis tempus intercedat. Ad hæc interſítne multùm, è montis vertice, an è patenti planitie ſtella conſpiciatur.

De Sirij ortu, & occasu non minùs perplexa mihi quæstio nascebatur: propterea quòd oriri Leonem ingrediente sole, tam in Ægypto, quàm in Græcia, & Italia, plerique veterum affirmant: quod secus habere eâdem illa triangulorum methodo deprehendisse videor. Rursus Plinius libro XVIII, cap. XXIX, scribit IV Cal. Maias occidere Canem, *cui praeoccidere caniculam necesse sit.* Ibi Caniculam vocat τὸν προκύνα. At hic vt oritur ante Sirium, ita post eum occidit. Itaque præoccidere Caniculam interpretabar de canario sacrificio, de quo Festus in *Rutilæ canes.* etsi duriusculum id loquendi genus videtur. Censorinus XIII Cal. Aug. exoriri dicit in Ægypto caniculam. Atqui canicula anno primo Iuliano exortum heliacum faciebat in Ægypto in ♋ 16,56″, Iulij X. Quamobrem omnibus retrò sæculis ante hunc diem oriebatur: quippe cùm in consequentia stellatus orbis perpetuò moueatur. Quînam ergo verum potest esse, quod Firmicus, & Solinus cap. XXXIV prodiderunt, Ægyptios veteres, qui ab ortu Sothios annum suum maiorem inchoabant, eum ipsum statuisse in XIII Cal. Augusti?

Postremum ἀπόρημα sit, quid esse caussæ censeas, cur Plinius, Columella, Ptolemæus ille libro de inerrantium signific. cùm æquinoctia, & solstitia fieri velint in 8 signorum parte, ingressum tamen in arietem c. c. constituant in Martij XVIII; ingressum quoque Solis in ♋ Iunij XVIII, & ita deinceps. quod perspicuè falsum est: vti lib. IV de Doct. temp. cap. XXVII ostensum est.

Erant & alia quædam, de quibus tripodem tuum consulere decreueram, sed ne in immensum exeat epistola, quæ iam iusto longiùs excreuit; tum vt iis, quas postea scribemus, proprij aliquid argumenti reseruetur, hîc finem faciemus. Sed primùm exorandus nobis es, vt neque lunares tuas tabulas, ac solares; neque Diluuium, quorum omnium gustum nobis præbuisti, diutius expectari sinas; tum vt amare nos pergas, & apud communem Dominum sedulò in sanctissimis tuis sacrificiis, precibúsque commendatos habeas: quod ego vicissim à me tibi polliceor. Vale Vir eruditissime, ac Puteanum meo nomine resaluta. Lutetiæ Parisiorum Cal. Nouemb. CIↃIↃCXXVIII.

EPISTOLA XVIII.

Heriberto Rosvveydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

VT habeas quo diuturnam interpretandi molestiam subleues, ac defatigatum animum oblectamento aliquo reuoces, tertium iam Mastigophorum mitto, quo superbissimi, insolentissimíque Grammatici fastus retunditur. Triplex ille lorarius vni illius libro est obiectus. Quod quibus de caussis factum sit, ex Epistolis, quæ singulis præfixæ sunt, cognosces. Quæ sit homuncionis illius facultas,

& eruditio, tametsi aliis ex eiusdem lucubrationibus scire iam potueris, pleniùs ac manifestiùs tres illi Mastigophori demonstrant. sed esset capitis istius inscitia tolerabilis, si bonæ mentis, aut communis sensus particulam haberet aliquam: quod posterius aliquanto minus, quàm illud prius, in eo cernitur. Cum hoc Caluinistici gregis alumno feruida momento rixa nobis exarsit, quam adeo ludibundi, ac velut aliud agentes hactenus tolerauimus. Apparet id hominis à Scaligeriani nominis fautoribus, ac semichristianis conductum, quibus iampridem ægrè est, numen illud suum à nobis despici, eiúsque Chronologicis in rebus imperitiam traduci. Etenim vix credibile est, quantum se commouerint, ex quo tam multa illius à nobis errata detecta sunt, tum verò longè plura, & stupidiora palam esse facturos ostendimus. Quæ cùm ne intelligere quidem ipsi propter rerum illarum inscitiam possint, fœneum istum Grammaticum, & audaculum obiecerunt, qui nos ab grauiorum contentione studiorum ad tricas illas, & vocabulorum conflictus, atque ineptias reflecteret. Sed in dies nihilominus alter ille procedit labor; qui quidem vbi prodierit, quas turbas excitabit! Non dubito quin Batani omnes & Germani, ac nostrates Caluinistæ ὥσπερ σφῆκες κεκεντρωμένοι, in nos inuolent. Verùm insaniant ac dirumpantur licet: vincet aliquando veritas; & Thrasonis illius fucus diluetur.

Quæ de Solis Lunæque deliquiis vir ille do-

ctus adnotauit, neque mihi probantur, & sunt à mente Dionysij, nisi fallor, aliena. Quo anno diéque passus est Christus, duplex incidisse deliquium ait, alterum παρὰ φύσιν, & prodigiosum, nempe solare; alterum ordinarium, & Lunare. Vtriusque porrò mentionem in illa S. Dionysij epistola fieri. Verba Dionysij. Ἀμφοτέρω γὰρ τότε κατὰ Ἡλιούπολιν ἅμα παρόντε τε, καὶ συνεστῶτε παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν· οὐ γὰρ συνόδου καιρός· αὖθίς τε αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐνάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταστᾶσαν. *Ambo enim tunc Heliopoli cùm vnà essemus, Lunam in Solem admirabiliter incurrentem aspiciebamus. Non enim Synodi tempus erat. ac rursus eandem ab hora nona ad vesperam in oppositam Soli è diametro partem restitui.* Hæc de Solari deliquio interpretatur. Pergit Dionysius: Ἀνάμνησον δέ τι καὶ ἕτερον αὐτόν. οἶδε γὰρ ὅτι καὶ τὴν ἔμπτωσιν αὐτὴν ἐξ ἀνατολῶν ἑωράκαμεν ἀρξαμένην· καὶ μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος ἐλθοῦσαν. εἶτα ἀναποδίσασαν καὶ αὖθις οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ καὶ τὴν ἔμπτωσιν, καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ κατὰ διάμετρον ἐναντίου γεγενημένην. *Quin & alterum illi in memoriam reuoca. Scit enim nos incidentiam ipsam ab Oriente cœptam animaduertisse; atque ad solarem vsque terminum esse progressam. exinde verò repedasse: nec eâdem parte incidentiam, & emersionem; sed ex diametro opposita contigisse.* Hæc verba ex illius disputatione non ad priorem, ac solarem; sed lunarem eclipsin referuntur. qui & illa, μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος, *ad finem vsque solis, siue crepusculi vespertini,* esse

dicit. quo tempore desiit eclipsis Lunæ.

Ego verò dum attentè Dionysij locum illum expendo, nullum ibi vestigium coniecturæ istius agnosco: quod eruditi viri pace dictum velim: atque adeo tam alienam esse iudico, nihil vt magis excogitari possit. Primùm ἔμπτωσις illa, quam ab Oriente cœptam asserit Dionysius, non potest ad Lunæ defectionem transferri, quæ anno communis æræ XXXIII, Aprilis tertio commissa est. Huius enim ἔμπτωσις Heliopoli conspecta non est. Plenilunium enim ἀκριβὲς ex nostris tabulis contigit Heliopoli hora 4, 40′, 14″ à meridie. Initium defectionis hora 3 ferè. Finis hora 6. 21′. Incidentiæ, & emersionis duratio fuit horæ 1, 40′. Totius duratio horæ 3, 20′. Cùm igitur incidentiæ tempus omne occasum Solis hora 1, 20′ circiter antecesserit, videri prorsus Heliopoli non potuit. At Dionysius ἔμπτωσιν illam ἀρχομένην *ineuntem* prospexit. Non est igitur Lunaris ἔμπτωσις.

Secundò ἔμπτωσις illa non alia potest esse, quàm cuius antea meminit his verbis, παραδόξως τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν. Atqui hæc ipsa non in vmbram, sed in solem incursio facta dicitur.

Tertiò, post ἔμπτωσιν scribit Dionysius Lunam denuò repedasse. post Lunarem verò ἔμπτωσιν in vmbram nullus ἀναποδισμὸς Lunæ fuit: sed deinceps rectum, & naturalem cursum tenuit.

Quartò, Dionysius refert non eâdem ex parte, Lunæ incidentiam, & emersionem accidis-

ſe. At in Lunari eclipſi, vtraque ab eadem parte cœpit.

Denique nihil apertius eſt, quàm Dionyſium poſterioribus illis verbis, *ἐμπτώσεως* & *ἀνακαθάρσεως*, quas paulò antè propoſuerat, modum ac rationem explicaſſe, proindéque Solaris, non Lunaris eclipſis. Hæc enim nulla prorſus eo die commiſſa eſt, quo paſſus eſt Chriſtus, hoc eſt æræ communis anno XXXI quem in lib. XII de Doctrina temporum adſtruximus.

Plurimùm me ſacris tuis precibúſque commendo: ſed & P. Andreæ Schotti, quem ego ſalutatum à me cupio. Vale. Lutet. Pariſ. 2. Apr. An. 1623.

EPISTOLA XIX.

Heriberto Roſvveydo Societ. Ieſu, Antuerpiam.

QVÆ de Frontonis noſtri obitu renunciata tibi eſſe ſcribis, nimium vera ſunt. Mortuus eſt Septembri menſe iam affecto; neque maius nobis, qui illum vnicè dileximus, quàm exteris omnibus, qui quidem ipſum vel fama nouerunt, ſui deſiderium reliquit. Cauſam mortis attulit vegrandis calculus, qui in eius veſica poſt obitum repertus eſt, vnciarum quinque pondo. Inter hos cruciatus poſt longam cum morte luctationem, Sacramentis omni-

bus ritè perceptis, ad Christum euolauit. Nos ei mœrentes solita pompa parentauimus.

De Dionysio Areopagita tibi citra vllam dubitationem assentior: neque quicquam strenui illi patroni hactenus proferunt, ὅ, τι καὶ ἄῤῥητον ἄμεινον. Itaque frustra Parisiensis ille cum Atheniensi confunditur. Æsopi fabulæ, fabulæ non sunt, præ commento illo Parisiensis Areopagitæ. Ita & ὁ μακαρίτης Fronto sentiebat, & hodie Sirmondus noster, & quicumque reconditiores paulo litteras attigit. Qui aliter sapiunt, ὄναιντο τῆς ἐθελοπιστίας. Sauaronis posthumum opus nullum ad hanc diem prodiit: sed neque proditurum putat vllum Sirmondus. Dextri Chronicon, hominis est imperitissimi ἄτοπον, & ἀλλόκοτον κύημα: & omninò ψευδεπίγραφον, ab Hispano aliquo nebulone confictum. Quis lucumonis istius confidentiam non miretur, qui se erudito huic sæculo fucum facere hisce quisquiliis putauerit? Si quid caussâ tuâ deinceps potero, faciam vt Frontonis operam minus hac in parte desideres. Vale mi Pater, & pro nobis communem Dominum precare. Lutetiæ Parisiorum Decemb. XII. An. MDCXXIV.



EPISTOLA XX.

Heriberto Rosvveydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

CREDO iam postremas meas ad te allatas esse; quas nondum, cùm nouissimè scriberes, eò peruenisse, iis ipsis ex litteris intellexi. Scripseram in illis de Ioanne Eleemone, cuius in historia παραχρονισμὸν meum suspectum te habere dicebas. Ego verò rectissimè id animaduersum puto, quod ad Nicephori Breuiarium, & in lib. XI de Doctrina Temporum ostendi; mortem incomparabilis illius viri in annum Heraclij VI, Christi ⅠↃCXVI incurrere, paulo antequam Saës à Chosroë missus Alexandriam occuparet. quod eodem illo anno contigisse, Theophanes, aliíque testantur. Nam quod in Notis ad Vitas Patrum, subitam illam Persarum irruptionem fuisse dicis, torrentis instar exundantium, ac subinde, relicta, quam obtinuerant, Alexandria, Ægyptóque, domum reuersorum; id ex eo conuincitur, quod iidem illi Persæ victoriam persecuti Africam expugnarint, ac Carthaginem obsederint, & cùm eam capere non potuissent, ad illius oppugnationem parte copiarum relicta, in Persidem abierint. Hoc enim argumento est, neque possessione illos Ægypti cessisse; sine qua

ſtolidè admodum in Carthaginis obſidione perſeueraſſent: &, quòd vaſtata Ægypto, occupatáque, diſceſſiſſe narrantur, non ſic intelligendum, nulli vt in illa remanſerint: ſed vt impoſitis præſidiis, ceteri in Perſidem ſeſe receperint. Hæc noſtra, &, vt opinor, veriſſima ratio: quæ & Sirmondo noſtro probatur. Vitarum Patrum nouam editionem nondum accepimus. Scripſi ad Vendelinum copioſè ſatis de quibuſdam Aſtronomicis quæſtionibus. Quod ad illum verò Ciceronis locum attinet, non diffiteor, quin & de ludis Scenicis explicari poſſit. itáque ad Vendelinum ipſum ſcripſimus. Sed de Olympiadum tempore, puto ἀποδεικτικῶς rem confectam in calce Operis noſtri. Ac fieri ſanè aliquando potuit, vti ſolito tardiùs Olympiaci illi agones inſtaurarentur. Sed de legitima, & ordinaria tempeſtate ſermo nobis ac diſputatio fuit: quam in mediam æſtatem incubuiſſe certiſſimum habeo. De libro illo cuius titulum edidiſti, nihil comperi. Extat non abſimilis argumenti ante annos circiter 9 à quodam Remenſi editus de Romanorum viis. Quem ſi nondum habes, propediem mittendum curabimus.

Nonnum Heinſij necdum penitus euolui. Videtur in pleriſque μικρολογεῖν, & κίγχεσιν ἀποξυνδεῖν. Non tamen deeſt eruditio. Nos in Iuliano ſubſeciuâ operâ ludimus. Et iam propè ad exitum peruenit. Geneuenſes Scaligerianum Opus de Emend. temporum excudunt. Credéſne illòs ipſos ſequeſtrem me, ad emeren-

dum priuilegium, quod à Marilliaco Procancellario impetrare se posse diffidebant, interponere voluisse? Sanè virum ad me doctum familiarem meum allegarunt, cui iustis id de caussis negauimus.

Expecto quid illi ipsi noua in editione, vel Germani, aut Batavi pariant. Vale. Lutetiæ Parisiorum Nouemb. XIX, CIↃIↃCXXVII.

EPISTOLA XXI.

Auberto Miræo V. Cl. Antuerpiam.

EXCELLENTEM in omni litterarum genere doctrinam tuam, cùm ex vetere de te fama; tum ex libris tuis cognoueram, (VIR CLARISS.) candorem humanitatémque, quod nihil commercij tecum habueram, nondum perspexeram. Huius mihi fidem litteræ tuæ fecerunt, quas ad me suauissimas, iucundissimásque Rubenius attulit, qualem scribis, perbreui illo, quo mecum vnà fuit, tempore cognitus adolescens, hoc est eruditus, ac probus, & antiquitatis peritus. Quem quidem & tua commendatione, & merito illius facio plurimi, & quibus officiis potero complectar. Sed is ad me non plus semel adiit; & quidem opportunè: cùm eodem tempore Sirmondus noster, & Andreas Quercetanus apud nos essent, quibus ille quas habebat abs te litteras obtulit. De Rationario nostro quod tam aman-

ter, ac beneuolè prædicas, laus est ista facilitatis, ac bonitatis tuæ, non ingenij, ac facultatis nostræ, quam in Opere illo mediocrem explicauimus. Verùm eo ipso magis placere mihi cœpit, quod tanti illud facere te dicis, vir antiquitatis omnis, historiæque peritissimus. Sanè incredibili hac in vrbe studio hominum hic liber exceptus est: adeò vt paucis mensibus exemplaria omnia distracta sint; & iam de altera editione cogitemus: quam sic institui à me plerique cupiunt, meram vt rerum historiam ab Chronologicis probationibus diuellam, eámque primam in partem conferam; altera, quæ sunt τεχνικὰ, & ἀποδεικτικὰ contineat. Aiunt enim complures, quos vnius historiæ studium allicit, quæstionum iisce tricis, ac minutiis absterreri, quas iisdem cum rerum narratione capitibus inclusimus. In anno natali Christi, quem cum Deckerio constitui, suffragatores vos esse gaudeo, te inquam & Bucherium nostrum. Huius verò Victorianum Canonem videre gestio: quem si ex solis Sirmondi schedis expressit, vereor vt germanum approbare possit. Nam multa illic aliter, ac Victorinus instituit, ordinata memini: prorsus vt interpolatum esse crederem. Alioquin in Appendice Operis de Doctr. Temp. vnà cum reliquis, quæ ex iisdem Sirmondianis schedis excerpsimus, suum etiam illi Canoni locum dare decreueram. Opus de viis militaribus per Belgicam, cuius spem facis, eo cupidiùs expectamus, quod id tale fore con-

fidimus, qualia tua esse solent, docta, accurata, & recondita. Vale. 1632.

EPISTOLA XXII.

Petro Crugero Dantiscanæ Reip. Mathematico.

ETSI sui quisque nimius est fautor, & scriptorum suorum acerrimus æstimator, ac sæpe immodicus: nunquam equidem mea tanti ipse feci; tibi vt, ceterisque similibus tui, hoc est eruditissimis viris, tam vehementer probatum iri confiderem. Nam vt in illis fidem, ac diligentiam adhibitam esse, mihi sum conscius; ita nihil esse fateor, quo tu doctior ab eorum tractatione possis recedere, vir, vt cetera taceam, Mathematicis studiis tam luculenter excultus; quæ res vnà cū admirationem doctrinæ istius; tum verò desperationem imperitis solet afferre. Verùm vtcunque res cecidit; siue tu nonnihil labore nostro proficere potuisti: quod tuis litteris testatus es; siue id alliciendæ beneuolentiæ nostræ caussâ, comiter, vt mos est, magis quàm seriò iecisti; est quod meis libris gratuler, qui mihi tantum boni pepererunt; te vt præstanti doctrina virum & amantem mei redderent, & amicitiæ nostræ, ac consuetudinis appetentem. Cuius equidem deinceps tibi quàm voles, liberalem copiam faciam: ac si

quid est, in quo mea tibi opera desiderari posse videatur, de eo vti scribas hortor, immo etiam obsecro. Nihil enim gratius ea re potest accidere.

Ad annum Græcum quod attinet, in quo tibi plenè satisfactum à me esse negas, in libro IV Dissertationum variarum, quas sub Vranologij titulo nuper edidimus, ita multa disputauimus, nihil vt pæne reliqui de hoc argumento mihi fecerim. Sed videlicet expectandæ erunt litteræ tuæ, quibus & hoc, & cetera expones omnia, de quibus consuli me oportere duxeris. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Petro Crugero V. Cl. Dantiscum.

PROBARI tibi quod in nostra Temporum Doctrina præcipuum, ac veluti caput est, valde id me quidem delectat, CRVGERE vir doctissime. Non enim aliter facere possum, quin gaudeam, cùm te præstantem iis artibus virum, ac longo earum vsu detritum habere me fautorem sentiam: vt si qui in posterum à me dissideant, aut etiam oppugnent, facilè eos omnes vnius tui fretus auctoritate contemnam. Quod verò pauca quædam sunt, nec illa καίρια, in quibus à mea sententia discedis, fero non molestè: dum, quod tu scribis, salua sit in primis illis, & præcipuis iudiciorum nostrorum

rum consensio. Quanquam illa ipsa, de quibus vel existimare aliter, atque ego faciam; vel quemadmodum intelligam, dubitare visus es, eiusmodi sunt, vt, si ad ea quæ dicam aduerteris, nihil concordiæ illi nostræ offutura confidam.

Horum primum est; quod in II de Doct. Temp. cap. VII dixi, octaëteridem Græcorum, qualis à Gemino descripta est. cap. VI, p. 35 editi nostræ, sic initio constitutam, vt esset illius modus dierum 2923 $\frac{1}{2}$, non 2922 præcisè, vt Scaligero videtur. Hæc mea ratio duplici abs te argumento refellitur. Primùm, quòd disertè Geminus asserit dierum 2922 principiò fuisse Græcorum octaëteridem. Secundò, quòd si tam exactè cum Lunari cursu vetus illa periodus adæquata foret, non esset tanta in anno ciuili perturbatio consecuta, quantam Aristophanes demonstrat. Verùm ad illa facilè respondebo tibi. Nam quod de Gemini sententia quæritur, qualis ea sit, meliùs ex ipso quàm ex oratione mea cognosces. Scribit ille octaëteridem diebus 2922 definitam esse: sed ita tamen, vt alterna quaque octaëteride, hoc est post singulas heccædecaëterides, triduum adiiceretur; vt cum Luna paria faceret annus ciuilis. Hoc qui dicit, eum necesse est heccædecaëteridem, dierum facere 5847. Eam summam si bifariam partiare, nimirum cuilibet octaëteridi dies imputabis 2923 $\frac{1}{2}$. Ergo in hunc modum sese res habuit. Propositum fuit anti-

quis illis temporum artificibus, ciuilem annum cum Sole pariter, ac Luna conciliare. Id verò προσθαφαιρέσει, hoc est adiectione dierum, & eorundem detractione identidem repetita faciebant. Quocirca dies attribuerunt octaëteridi 2922; vt Solis motui satisfacerent qui in annis 8 totidem colligit. Rursus quoniam ab Lunari ratiuncula modus ille deficiebat; eo quod die 1 $\frac{1}{2}$ amplius octaëteris Lunæ continet, quàm Solaris; iccircò post alteram expletam octaëteridem triduum addebant. Verùm, quòd hac ratione ciuilis annus, dum Lunæ vestigia persequitur, ab Sole deflectit; & triduum superfluum acquiritur in qualibet heccædecaëteride; adeóque 30 dies in decem heccædecaëteridibus; hinc post heccædecaëteridas 10, qui sunt anni 160, mensis integer tricenarius expungi solebat. Hæc Geminus in illo capite. Ex quibus euidens est, conditorem octaëteridis id in animo habuisse, quod dixi, vt esset modus octaëteridis dierum 2923 $\frac{1}{2}$ tametsi primam nonnisi 2922 diebus explicaret. Quod adeo anni nostri Lunaris exemplo declarari potest. Si quis enim interroget, quem illius modum Paschalis nostræ auctor methodi finierit, nemo dubitabit, quin diebus 354, 8, 44, &c. taxauerit. Atqui plerique anni non ampliùs diebus habent 354 præcisè. Verùm quoniam horarum, & scrupulorum ἐπουσίαι certis annis furtim, & latenter insinuantur, cùm integrum diem perfecerint; ideo cùm de anni conditione, & quantitate

quæritur, superfluorum istorũ dierum habenda ratio est, déque iis sua cuique attribuẽda portio.

Nam quod ad labem illam ciuilis anni pertinet; quæ Aristophanis sæculo tanta non fuisset; si ad Lunæ cursum tam propè ὀκταετηρὶς accederet: primùm ad hoc non tam mea quàm Gemini ipsius debet esse responsio: cuius à me sententia præstari debet; non sententiæ veritas, & constantia. Deinde perfacilis mihi coniectura videtur, quid Athenis acciderit; vnde in Lunares neomenias istud vitij redundarit. Est enim credibile, intercalationem istam tridui in vna alteráve heccædecaëteride prætermissam esse; quod satis fuit, vt ea, quam obiicis, perturbatio neomeniarum ciuilium existeret.

In prima Metonis neomenia, anni Per. Iul. 4282, fugit me ratio. Nam calculis accuratiùs subductis, inuenio ex Parisinis tabulis nouilunium verum in Atheniensi meridiano Iulij 15, hora 19, 43′ post mediam noctem. Nihil procliuius est, quàm hallucinari in numeris istis, ac summis ponendis. quod mihi tunc euenisse fateor. Cuiusmodi erratis nulli iniquiores sunt, quàm imperiti, & harum litterarum expertes. Quo minus de te laboro, viro docto, & in isto genere artium imprimis exercitato.

Tertium caput superest percontationis tuæ: de quo paullo longior instituendus est sermo. Habet enim præclaram ἐπίστασιν; quæ, vt spero, eruditione tua non erit indigna.

Mirum tibi videri scribis, quid sit, cur in II de Doct. Temp. cap. XIII dixerim, neomeniam

primam anni Græci, non ſemper ſolſtitij cardine poſteriorem fuiſſe; ſed eum interdum anteceſſiſſe diebus 14, vel 15: adeò vt neomeniæ primæ canon plenilunium fuerit; quod nunquam ſolſtitium anteuertere debuerit; non autem nouilunium. De anno verò Metonis ita ſtatui, neomenias illius eundem ſolſtitij præceſſiſſe cardinem: non tamen diebus 14 vel 15 anteriores illas poſui. vt ex diagrammate conſtat, quod ex Gemini præſcripto p. 122 delineatum eſt. Sed de anno Græco vetuſtiore; qualis in octaëteride deſcriptus erat, nihil præter opinionem habemus, & ἀναλογίαν vſus inſequentium temporum. In Metonicæ periodi deſcriptione methodus noſtra demonſtratione nititur. Quod igitur ſciſcitaris; cur anno 1 Periodi Metonicæ, qui fuit Per. Iul. 4282, cùm ſolſtitium 27, Iunij contigerit, Neomenia prima à me collocata fuerit Iulij 16, diebus poſt idem ſolſtitium 19, non Iunij 16. qui duodecimus fuit ante ſolſtitium: ſi quidem neomenia etiam 14 vel 15 diebus ſolſtitio anterior eſſe potuit; huic vt reſpondeam, paullo altiùs repetēda diſputatio eſt.

Græci, vt auctor eſt Geminus, octaëteridas vſurpabant initio: in quibus embolimæi anni fuerunt 1, 5, 8. Poſtea Euctemon, ſiue vt alij, Meton, enneadecaëteridem inuenit; in qua embolimæi aptiùs ordinati ſunt. Horum proinde ſitus fuiſſe videtur in annis 3, 6, 8, 11, 14, 17, 19. Hoc etſi Geminus expreſsè non ſignificet; tamen ex iis quæ dicentur paulò pòſt fiet conſequens. Secundùm hæc Calippus Metonicam

emendauit Periodum; in qua nihil omnino mutauit in embolimorum situ, quod testatur Geminus. Quocirca non absurda est coniectura nostra lib. II de Doct. Temp. cap. XIX, Calippum id vnum spectasse, vt labantem Metonis periodum fulciret; adeóque in suo parapegmate non nouum periodo suæ caput, & initium præfixisse; secundum quod diuersa embolimæorum annorum progressio fieret: sed ab 8 anno Cycli Metonici castigare orsum, reliquos eiusdem cycli decemnouennalis annos, ac tres deinde cyclos integros; tum 7 annos de quarto proposuisse; vt summam compleret annorum 76. in quibus embolimæi erant iidem, qui à Metone constituti fuerant. Quare cùm 8 Metonicus embolimæus esset, primus Calippicus, quem octauum fuisse Metonicum diximus, embolimæus itidem fuerit oportet. ac deinceps eiusdem Calippicæ periodi 4, 7, 10, & 12, qui erant Metonici 11, 14, 17, & 19. In sequentibus deinceps enneadecaëteridibus, eadem embolimæorum series repetitur. Quod autem Calippi primus annus octauus Metonici cycli fuerit, ex eo colligitur. Nam Metonis annus primus incurrit in annum Per. Iul. 4282. Calippi verò, in annum 4384. Hic centesimus tertius est ab illo. Porro si 103 per 19 diuidas; fient integræ periodi 5, & anni 8 de sexta. Igitur primus annus Calippicæ 1 periodi fuit octauus sexti cycli Metonici. Vtriusque Periodi initium ab Hecatombæone solstitiali mense ductum est, quod in II de Doct. Temp. probauimus. Sed nihilominus

intercalaris mensis fuit Posideon, qui circa solstitium hibernum extitit. Quod argumento est; olim anni Attici cardinem fuisse brumale, non æstiuum solstitium. His animaduersis ad vtriusque Periodi structuram moliendam vide quibus rationibus inducti simus, & vt nihil ex sola opinatione; sed euidenti freti auctoritate de ea re statuerimus.

Apud Ptolemæum lib. IV extant exempla quatuor obseruationum astronomicarum, in quibus certi anni Calippicæ periodi notantur, ex quibus diagramma confecimus in lib. VI differt. ad Vranolog. cap. II: annorum Calippicæ periodi 36, 37, 47, & 48 qui sunt Metonici cycli, vt ex superioribus liquet, 5, 6, 16, & 17. Ex his duo embolimæi fuerunt 37, & 48 Calippi; Metonis 6, & 17; reliqui embolismo caruerunt. quod ἀποδεικτικῶς ex eodem Ptolemæo colligimus lib. VI Differt. ad Vranol. cap. II, p. 227. quem librum quia penes te esse video, non hîc argumenta repetam, quibus illud approbauimus. Constat ergo annos 6, & 17 in Metonico cyclo intercalares fuisse; non fuisse 5 & 16. Ex quo reliqui colliguntur: nimirum 3, 8, 11, 14, & 19. Porro cùm cyclus, siue periodus in orbem continuò redeat, ac prioris fini posterioris succedat initium: primus annus Metonis, ante quem nondum erat instituta periodus, qui est in Iuliana periodo 4282, sic à nobis cogitandus est, quasi intercalari anno, hoc est decimo nono cycli alicuius anterioris proleptici proximè successerit. vt si Metonis

cycli iamdudum antè cœpiſſent, annus ille qui ab æſtate anni 4281 in æſtatem anni 4282 propagatus fuiſſet decimus nonus, idémque intercalaris eſſe debuerit. Anno 4282 nouilunium tam Iunij 16, quàm Iulij 16 obſedit diem. Non potuit Meto Iunij 16 neomeniam primam cycli ſui conſtituere. Id enim ſi feciſſet, primo ipſo cycli anno intercalare debuiſſet, quod hypotheſin euertit. Alioqui ſequenti anno neomenia Hecatombæonis in 6 incidiſſet Iunij, nimiúmque diſtaret ab epocha ſolſtitiali. Primus itaque Metonis Hecatombæon ἀποδεικτικῶς, vt initio polliciti ſumus, oſtenditur Iulij 16 contigiſſe. Ex hoc vero principio ceterorum deinceps annorum neomeniæ pertexuntur; ac neceſſariam habent dierum certorum ſeriem; quam in Metonici cycli diagrammate in 2 de Doct. Temp. c. 8 deſcripſimus. Tertius enim exempli cauſſa, neomeniam habuit 25 Iunij: de quo miror dubitaſſe te, cur non 14 Iunij cœperit: quaſi nos alibi, quàm 25 Iunij in laterculo collocemus. Hic porro embolimæus eſſe debuit; atque ideò ſequentis neomenia incurret in 13 Iulij. Iam octauus annus neomeniam exhibet Iunij 29. Eſt autem embolimæus, vt ſuprà demonſtraui. Proinde neomenia ſequentis anni diffundetur in 18 Iulij. Nam ſi 18 Iunij cœpiſſet, non eſſet id, quod ratio poſtulat, intercalaris annus octauus. Ac velim iſtud obſerues; ex primo anno, & eius Hecatombæone, pendere cycli totius contextum, in quo id vnum obtinetur, vt ne primi menſis plenilunium ſolſtitij cardinem an-

teuertat. Quòd autem eiusdem primi mẽsis neomenia longiùs vltra cardinem excurrit; tũ quòd vltimi plenilunium cardine ipso sit interdum posterius: non hæc valde mouere nos debent. Hoc enim vitari non potest. ac ne ipse quidem effugit Scaliger; neque ceteri, qui neomeniam primi mensis nunquam solstitij metas antecessisse putant. Nam apud Scaligerum tam in Metonis, quàm in Calippi cyclo, Hecatombæonis neomenia nonnunquam in Iulij 24, 25, & 27 relegantur; cùm tamen solstitij cardinem in 8 Iulij ille ipse cõstituat. Quocirca meritò idem à nobis vsurpatum est in vera & ἀποδεικτικῆ διασκευῆ vtriusque Periodi, quod in postulatitia & temerè confictа sibi ille sumpserat. Id enim necessariò faciendum esse, embolimæorum annorum ἀκολουθία persuadet.

Nam quod Metonem existimas ad octauam Cãcri partem respectum habuisse, mihi quidem non probas. Siue enim octauam partem appellas eam, quæ octauo die post solstitium Metonicum incidit, Iulij 4: siue in ipsum octauum Iulij diem conferas, propter antiquum situm solstitij in Calendis Iulijs; quem obseruatum deinceps ariolatus est Scaliger: neutrum potest consistere; & vtroque modo, vulgato in errore versari videris. Inueterauit enim hæc opinio; veteres non in ipsa æquinoctialis, ac Zodiaci sectione æquinoctialem posuisse cardinem: neque solstitium in eclipticæ ac solstitialis circuli tactione: sed octauo post ambas gradu ac die, quod præ ceteris obnixè defendit Scaliger; &

nobis ipsis aliquando persuasit. Verùm acriùs perspectare, lib 2.Var.Differt.ad Vranol.c.4 & seq.tū l. 3.c.2 falsum istud esse, primi, vt opinor, deprehendimus. Ibi enim euidenter ostensum est, veteres illos, qui in octauis partibus ęquinoctia, solstitiáve fieri censuerunt, has ipsas octauas partes non posteriores sectionibus circulorum, & tactionibus instituisse: sed signorum cardinalium initia totidem gradibus anteuertisse: adeo vt octauæ illorum partes in mutuas circulorum συναφὰς inciderent. Quocirca pars octaua Cancri secundùm Metonem, si quidem eam rationem tenuit, non in diem cadit octauum ab 27 Iunij, quem solstitio præfixit. sed isto ipso die 27 Iunij octaua Cancri pars existit: principium verò Cancri Iunij 20. Verum hoc esse comprobant fasti veteres quos Ouidius, Columella, Plinius aliique secuti sunt. Sed nihil facis, nisi ea legis quæ de hoc argumento copiosè disserimus in Vranologio. In quo astronomorum veterum, & imprimis Hipparchi errata grauissima ignota vulgo patefecimus: qui dodecatemoria signorum cum asterismis confudit; & Eudoxum, Aratum, aliósque præter meritum sæpe castigat. Quæ si tuo aliorúmque doctorum iudicio probata esse cognouero, non iniucundum laboris mei fructum capiam; præsertim si te, ac reliquos ætatis huius doctos Mathematicos ad illustrandam veterem astronomiam, ac pleraque perficienda, quæ in hac parte adhuc intelligo deesse, exemplo meo incitare potuero.

Ad extremum de obſeruatione illa ſubeuntis ſub Solem Veneris anno ſuperiore ſic habeto: audiiſſe me de nonnullis, qui ſe eam ἐπιπρόσθε-σιν & eclipſin Solis animaduertiſſe dicerent; eiúſque beſſem obſcuratum fuiſſe: quod in chartula teleſcopio ſubiecta deprehenderint. Sed quòd nec iſti valde ab aſtronomia, & iſtiuſmodi peritia parati ſunt; & nonnulli eius intelligentiores cùm eodem tempore in id incumberent, nihil omnino viderunt; ſuſpecta mihi eſt obſeruationis illius fides: præſertim quæ ὀλοσχερὴς; immo incredibilis ſit. Quis enim beſſem ſolaris diſci ab Venere obſcurari poſſe ſibi perſuadeat? Itaque nolo fidem adhibeas. Vale vir erudítiſſime & noſtris laboribus fauere perge. Deum viciſſim precor, vt tibi gratiâ ſuâ aſpirare velit; ac te incolumem conſeruet.

EPISTOLA XXIV.

Petro Crugero V. Cl. Dantiſcum.

OLIM me ad te ſcribere cunctantem verberant ſæpius, & officij admonent partim populares tui, qui identidem huc veniunt: partim me verò ceſſationis huius meæ ſuppudet. Sed is es, & eo genere ad me ſcribis epiſtolarum, vt neque paruo tempore, neque non diu, ac longè meditato mihi ſit opus, quî tibi reſpondeam. Quod dum accuratè facere cogito, & vacuum tempus expecto ad illa recolenda ſtudia, è quibus quæſtiones tuæ ducun-

tur; quòd iſta iamdudum tractare deſij: longior imprudenti mihi dies obrepſit. Sed compenſabo tarditatem hanc diligentia reſponſionis huius; atque vnà cum ſorte multiplicatum fenus tibi perſoluam.

Igitur ad ea, quæ penultimis tuis propoſuiſti, ſingillatim, ordinéque reſcribam.

Ex iis fuit illud primum, quod iam inter nos agitari cœptum erat, de Græca octaëteride; quam Geminum docui ab initio dierum factam putaſſe 2923 $\frac{1}{2}$. tu primùm 2922; poſtea correctam, & ad illum modum redactam. Vter veriùs ſentiat, non aliunde, quàm ex Gemino ipſo cognoſcitur. Enimuerò, ſi quis hunc attentè legat, non dubitabit, quin hoc ipſum, quod dixi, planiſſimè doceat. Scribit pag. 34 editionis meæ, antiquos eum quæſiſſe circuitum annorum, qui Solis, Lunæque numeros impleret, ad ídque quadruplicem ab iis tentatam eſſe Periodum. Prima fuit dieteris, in qua menſes omnes tricenarij erant. Sed huius vitium ſtatim eſſe deprehenſum ait. Itaque ad octaëteridem ſecundò tranſierunt, in qua duo illa dicit eſſe quæſita: alterum, vt cum Solis motu orbis ille congrueret: alterum vt & Lunæ reſponderet. Horum prius aſſecuti ſunt deſcriptione menſium 96, qui alternis pleni eſſent, & caui; & intercalarium trium ac tricenariorũ, vt in totum eſſent menſes 99, dies 2922, quot anni octo Iuliani continent. Tum ita pergit: cùm iidem intelligerent, iſta quidem ratione Solis ſe curſum aſſecutos, ab Luna verò deficere,

quoniam mensis ἀκριβῶς supra dies 29 $\frac{1}{2}$, habet insuper diei partem tricesimam tertiam: octo verò Lunares anni pleni, diebus constant 2923 $\frac{1}{2}$ hoc est vno die, & $\frac{1}{2}$ amplius, quàm prior habet descriptio; ideo alternis octaëteridibus triduũ adiecisse; in octaëteridibus verò 20, qui sunt anni 160, mensem integrum exemisse. Hæc Geminus vno & eodem instituto facta memorat. Nam ad vtrumque genus octaëteridis eundem solaris anni modum accommodat, qui est 369 dierum & $\frac{1}{4}$ ex quo contextus ille simplex octaëteridis ortum habuit, dierum 2922. Idémque & in posteriore forma continuatur, vt scribit pag. 36. Ex quo sic argumentari licet. Quoniam id ab initio quæsierunt octaëteridis Græcæ conditores, vt periodum haberent, quæ Solis pariter ac Lunæ rationes exhauriret; qualiscumque tum ab illis fabricata est, eiusmodi esse profectò debuit, vt rationes peræquaret vtriusque sideris. Atqui solem iam tum sciebant diebus moueri 365 $\frac{1}{4}$, vt ibidem docet Geminus. Ex quo & octaëteridis modum illum profluxisse dicit, qui dies colligebat præcisè 2922.

Ego & in posteriori genere octaëteridis, si quidem diuersi, vt vis, & instituti fuit & temporis, idem spectare illos oportuit: ac proinde numerus ille dierum 2923 $\frac{1}{2}$, perinde iustis è Solaribus spatiis, ac Lunaribus ex eorum opinione constare debuit. Quorsum enim octaëteridem

constituerent, nisi vt Solis ac Lunæ numeros omnes exhaurirent? Quod non fieret, nisi dies 2923 $\frac{1}{2}$ vti plenos nouem & nonaginta Lunæ circuitus; ita octo solis annos implerent. Quare qui diuersam huius posterioris Octaëteridis institutionem esse velit; necesse est idem Solaris anni mensuram perinde diuersam faciat: hoc est, dierum 365. hor. 10. 30'.

Atqui Geminus vnam, & eandem vtrobique Solaris anni quantitatem fuisse vult. Non igitur nouam, ac diuersam octaëteridis ordinationem hanc esse credidit, sed vnius generis, in qua 96 menses alternis pleni cauíque dies colligunt 2832, & additis intercalaribus tribus, hoc est diebus 90, consiunt dies 2922. Sed in fine octaëteridis secundæ triduum additur. Ideo ordinarius quidem modus dierum est 2922, verus autem & exactus, 2923 $\frac{1}{2}$. Quemadmodum annus noster dies ordinarios habet 365 reipsa 365 $\frac{1}{4}$ hoc est quartus quisque 366. Sanè Geminus in hac tota descriptione octaëteridis, continenti oratione vtitur; & eosdem significat triduum in fine octaëteridis addidisse; quos paullo antè dixerat alternasse plenas, cauásque, atque embolimos ternos indidisse. Neque animaduerso prioris octaëteridis vitio transitum ad alteram esse factum indicat. Vide enim amabo te, quæ sit orationis illius series. Primùm a dixit Græcos initio quæsisse Periodum aliquam in qua anni cum Sole congruerent, menses cum Luna; hoc est, cuius menses anníque P. 34. A.

ciuiles singuli lunares essent; tota verò Periodus in annos solares partita nihil residui faceret. Ita enim interpretandus hic locus est, non vt annos ipsos singulos ciuiliter vsurpatos ad solem descriptos velit; menses verò singulos, ad Lunam. quod anni genus ne fingi quidem cogitatione potest. Ergo vt hoc assequerentur, imprimis octaëteridem amplexi sunt: in qua menses alternis plenos, cauósque constituerunt, vti suprà dixi, 96, & tres insuper embolimos erogarunt, vt esset octaëteris dierum 2922, quæ in octo æquales annos partita, singulis dies attribuit 365 $\frac{1}{4}$ qui solaris anni modus

P. 35. A. iā tum ab illis agnitus est, vt* eodē loco docet. Ita quod primum erat è duobus, adepti sunt, vt anni eorum cū Sole concordes essent: restabat alterū, vt & cum Luna mēses ac dies congruerent. Hoc vt efficerent, mensis lunaris dies 29 $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{33}$ multiplicarunt in 99, vt existerent dies in tota octaëteride 2923 $\frac{2}{1}$ ἐπολυπλασίασαν, inquit, τῆς τοῦ μηνὸς ἡμέρας, &c. Quinam? nempe illi de quibus locutus est: qui octaëteridem ratione Solis absolutam; ratione Lunæ, mancam, & affectam instituerant. Illi, inquam, qui Solis annum diebus metiebantur 365 $\frac{1}{4}$, vt ibidem memorat. Iidem illi & dies adiecerunt per singulas heccædecaëteridas, tres, & post decem heccædecaëterides vnum mensem eximebant. Hæc anni prima & integra fuit ordinatio: quæ veteris Græciæ proposito sola respondere pos-

ſet, quod eiuſmodi fuiſſe docuit, vt per omnes annorum periodos non Solis duntaxat, aut Lunæ, ſed vtriuſque curriculum explerent.

Finge enim duas ac diuerſas oċtaëteridas & inſtitutiones fuiſſe primùm dierum 2922; deinde 2923 $\frac{1}{2}$. Ergo conſequens eſt, vtrãque Periodum Soli non minus reſpondiſſe, quàm Lunæ. Quare poſterior per 8 Solis annos diuiſa, dabit anni ſolaris modum ex illorum opinione, dierum 365, horarum 10, 30'. quam Geminus tradidit, annum vtrobique dierum habitum 365 $\frac{1}{4}$ Porro cùm ab oċtaëteride tranſit ad enneadecaëteridem, vide vt loquitur, ἑτέραν, inquit, περίοδον συνεστήσαντο, cùm prioris vitium deprehendiſſent. tum Solis annus in ea non, vt antè dierum conſtitutus eſt 365 $\frac{1}{4}$, ſed 365 $\frac{1}{19}$, hoc eſt 365, 6, 18'. 56''. 50'''. 31'''' $\frac{11}{19}$. Ad ſummam, inuiċtum argumentum habeo ex anni Solaris modo, quem in vtraque forma oċtaëteridis, eundem ſtatuit Geminus.

Atenim contra me eſt Ariſtophanes, qui neomenias ciuiles ætate aberraſſe ſua ſignificat: quod neutiquam eueniſſet, ſi iam tum adeo exaċtæ ſyzygiæ in vſu fuiſſent, vt vix in annis 160 vno die peccarent. Ita mihi obiiciebat in epiſtola tua priore. Cui ſic à me ſatisfaċtum eſt: videri triduum illud ἐπακτὸν interdum ab Herophantis quorum erat anni procuratio, negleċtum fuiſſe. vt in ſimili re Pontifices Romæ fecerunt, qui Merkedini intercalationem pro

arbitrio suo prætermittebant, aut alieno repræsentabant tempore, ex quo anni consecuta perturbatio est. Tu verò coniecturam hanc reprehendis, & *festinanti excidisse calamo* scribis; *quippe*, inquis, *lumen Lunæ præfulgidum erat vesperi, vt postpositione peccarit neomenia ciuilis non anticipatione*. Sed amabo te nónne magis ista rescribenti *festinauit calamus tuus?* Nam vt aliud nihil dicam, certè in idem recidisti, quod pro absurdo mihi obiicis. Etenim si erraui propterea quod de annis totius heccædecaëteridis 5847 dies tres expunxi, hoc est octaëterides duas dierum constitui 5844; tu in eâdem es caussa, qui octaëteridem vnam dierum fuisse tum pugnas 2922: hoc est, duas dierum 5844. Quare non est à veri regione auia coniectura nostra, de triduo, aut etiam pluribus diebus plerumque neglectis ac suppressis. cui tu frustra Aristophanem opponis. Hic enim in Νεφέλαις, Lunam id solùm conquerentem inducit, quòd non rite dies Athenis ordinarent.

κοὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε, καὶ κάτω κυδοιδοπᾶν

quod, inquam, súsque déque dies haberent: adeo vt festa Deorum neutiquam suis temporibus occurrerent. Vbi neque προεμπτώσεως, neque μετεμπτώσεως vlla significatio est. Ac de octaëteride Græcorum vetere, satis multa.

Caput est alterum epistolæ tuæ de anno, ac Periodo Metonis, cuius descriptionem in secundo de Doct. Temp. à me conditam, probas tu quidem, neque aliter institui oportere statuis:

tuis: ſed illud inquiris, cur cùm nouilunium anno primo Periodi illius tam in 16 Iunij, quàm 16 Iulij ceciderit; in hoc poſteriore Meto primam ſuam neomeniam fixerit potiùs, quàm in priore. Huius tu cauſſam prioribus litteris hanc reddideras, quòd populare ſolſtitium in octauo tum Cancri, hoc eſt Iulij 4 collocatum fuerit, quem limitem enneadecaëteridi ſuæ Meto poſuerit: ita vt plenilunium nullum cardinem illum anteuerterit.

Sed contra hanc coniecturam multa diſputauimus in ſecundo Variarum ad Vranologion, capite v. quæ nunc quoque vera putamus. Itaque non poteſt nobis illa ratio probari. Sed inſtas, & meliorem à nobis exigis, cuius nullam in noſtris libris ſignificationem eſſe dicis. Etſi id minimè eſt neceſſe, tamen nonnulla ex eo capi poteſt, quod in primo, cap. 8, p. 20, & ſecundo, cap. 9, pag. 112, docuimus, quam hoc loco breuiter exponam. Meto enneadecaëteridem ſuam ſic inſtituit, vt ad ciuilem annum caſtigandum eius vſum referret. Erat autem ciuilis hic annus per octaëteridas digeſtus. proinde ad octaëteridas emendandas methodum ſuam accommodare ſtuduit. Scribit Diodorus lib. XII, Metonem enneadecaëteridem ſuam edidiſſe, initio ducto à die 13 Scirrhophorionis. Hoc Diodori dictum quàm abſurdè Scaliger acceperit, non neceſſe eſt hîc repetere. ſatis enim id illo in loco fecimus, atque etiam verè ſic interpretati ſumus: Metonem cùm annum ſuum publicaret non præfractè priſtini an-

ni, & octaëteridis intercidisse cursum: sed vltimi mensis reliquos dies in Parapegmate descripsisse, puta Scirrhophorionis octaëterici diem 13, 14, 15, &c. Lababat tunc octaëteris Attica, & diebus aliquot pessum ire cœperat, vt ex Aristophane tute ipse colligebas. Itaque Scirrhophorionis veteris dies illos 13, 14 &c. sic adnotauit, vt ad eosdẽ castigatos dies adscriberet. Vt si triduo, vel quatriduo κατ' μετάπτωσιν peccasse velis Lunarem syzygiam: ita vt 13 ciuilis dies, esset accuratæ, ac cælestis 16 vel 17; ad Scirrhophorionis popularis, & deprauati, 13 diem; adscripsit lunaris, & deinceps noni Scirrhophorionis diem 16, vel 17, ac deinceps syzygias reliquas ea serie continuari iussit. Ex quo ratio illa, quam dixi peti potest, cur neomeniam primam in 16 Iulij potiùs, quàm 17 Iunij Meto collocarit, (fuit enim Scirrhophorion ex ordine cauus, vt ab 17 profectus Iunij in 15 Iulij desierit) Nimirum, quòd octaëtericus vitiosúsque Scirrhophorion, idémque postremus, ab solstitialibus metis longè summotus illum locum occuparet; è quo solicitandum esse Meto non censuit, sed ad exactiores lunæ calculos reuocandum. Volo & illud animaduertas, quod in eodem opere demonstrauimus; tametsi initium anni Græci & Attici ab æstate repeteretur, ac primus esset mensium Hecatombæon, nihilominus consueuisse Atticos intercalarem mensem in hibernum tempus coniicere, eiúsque mensem qui Posideon dictus est. Quare quod ad epocham anni ciuilis spectat;

maior ducta ratio est solstitij brumalis, quàm æstiui. Tum verò, quod caput est, scire debes, non illud curasse Græci anni conditores, ac Metonem ipsum, vt singulorum annorum capita propiùs ad solstitium accederent, sed hoc in primo duntaxat Periodi anno tenuisse. Quo constituto, ceteros deinde propter embolismorum descriptionem longiùs euagari necesse est, qui quasi catena quadam è superiorum serie nectuntur. Ergo anno primo Periodi Metonicæ, in laterculo nostro neomenia Gamelionis 10 Ianuarij diem obsidet, qui propiùs abest à solstitio hiberno. Vt hac ratione canon epochæ neomenia potiùs esset, quàm plenilunium, de quo in 1 libro p. 29, & 30. dubitauimus. Sed ea cautio in anno, vti dixi, primo Periodi duntaxat est adhibita, ceteris impunitas est data longiùs à metis excurrẽdi. Sed eò reuertor, quod paullo antè docui, eámque te caussam notare cupio, de qua percontatus eras, cur anno primo Metonis, Hecatombæonis neomenia Iulij potiùs 16, quàm Iunij 17 adiudicata sit. Nam probabilis ea maximè videtur, quòd tum octaëtericus, & popularis annus cui fulciendo præsidium noua ex periodo Meton accersiuerat, longiùs ab legitimo cardine desciuisset.

Quod verò admones de distantia Solis & Lunæ, tempore mediæ oppositionis, vel oppositionis, per motum verum horarium putanda: scito me consulto medium motum adhibuisse cum Mullerio; cuius caussam reddidi pag. 726,

& 727 To. 1. de Doctrina Temp. Vide locum ac tute ipse periculum facito ; & nodum illum expedi. Experieris autem iis in exemplis, in quibus prosthaphæreticum discrimen magnum est. Nam in minoribus non valde id apparet.

Cardinem solstitij Metonici medium videri, non exactum, ac verum, scripsi in Variarum Differt. p. 247. quod te minus delectat. Et tamen in idem recurris postea; immo calidiori facinore, nihil verum inter, ac medium distinxisse tam illum, quàm ceteros statuis: quod sanè incredibilius est, quàm quod scripseram. Sed nolo pugnare.

De Hipparcheo anno, vel periodo, non multum à mea tua ratio discrepat. Fateris enim, quod planè demonstrasse videor, Hipparchum ex obseruationibus anni Solaris modum constituisse. De antiquioribus astronomis facilè remitto. Nam & Geminus, quod tu notasti, solarem Metonis annum ex enneadecaëteride dierum 6940 colligit. De Hipparcho puto aliter sentiendum. Huius annus Lunaris dierum est 354, 8, 48′, 40″, cuiusmodi anni 304 cum embolimis mensibus 112 dies numerant 111035, 0. 48′, 53″, 20‴. Discrimen horum, & Iulianorum totidem, dies 0, horæ 23, 11′, 6″, 40‴. Non igitur annis 304 iusta fit vnius diei ἐξαί-ρεσις. Neque præcisè dies habet 111035 annus ille magnus Hipparchi, vt eum Censorinus appellat. Vnde ex eius diuisione modus anni Solaris definiri non potuit ; vt trecentis annis vnum expungendum diem scisceret, quia

propè abeſt hic numerus à 304. quod ita demum vſurpari poſſet; ſi in annis 304 iuſta peræquatio fieret. At non fit: Nam præterpropter anni 312 requiruntur, vt ſolidus dies perimatur. Non igitur 300 anni iccirco præfiniti ſunt, quia propiùs accedunt ad eum numerum, quo præciſa fit vnius diei περιμπώσις. Non enim 12 anni vel eo plures, exiguus, & inſuper habendus numerus videri potuit accurato homini, & aſtronomiæ principi. Sed de hac re nimium multa. Te velim perpetuò mei eſſe memorem, & eodem in me animo, quo cœpiſti: cuius mihi fidem poſtremæ tuæ litteræ fecerunt. quas qui huc attulit Ioannes Roſenbergius præclarus iuuenis, peſſimè habitum ſe à piratis noſtratibus queſtus eſt. Quod mihi vel eius, vel tuâ, vel noſtrâ etiam cauſsâ plurimum dolet.

Vtinam bellicis iis tumultibus pax aliquando ſuccedat, quæ & Chriſtianis regnis, & Eccleſiæ ipſi tranquillitatem, atque otium afferat. Ita enim fiet, vt & litteræ noſtræ, & litteratorum commercia refloreſcant. Miſi ad te Diſſertatiunculam quandam de Concilio Sirmienſi, & damnatione Photini; in qua haud vulgaria niſi fallor, pauca ſunt; ignota certè hactenus, & ab nemine comperta. Nunc Rationarij editionis poſtremæ tomos duos adieci, grati erga te animi pignus, & diuturnæ ceſſationis meæ compenſationem.

EPISTOLA XXV.

Iosepho Mariæ Suaresio V. Cl. Romam.

Is postea Episcopus Vasionensis fuit.

PETO abs te primum (VIR ERVDIT.) tarditati vt ignoscas meæ, quòd eruditissimis, suauissimísque litteris tuis tanto interuallo respondeam. Tum verò tibi, ac per te, si id nimium arrogans non est, fautoribus illis meis gratiā habeo, quantam capere maximā possum: etsi pluris amborum animum in me, quàm iudicium de me (si is sum, qui esse volo) facere debeo. Equidem quantumcumque inest in me facultatis, & ingenij, totum id Sanctissimo D. N. & secundùm hunc Eminentiss. Cardinali Barberino deuotum, & addictum esse iamdudum cupiebam: postquam verò tantopere iis intellexi probatum esse studium, atque officium meum; maioribus ad id incitamentis, & aculeis vrgeri me sentio.

Ad te porro quod attinet: quódque te amicitiam nostrā dicis expetere; facit hoc abundantia benignitatis tuæ; vt quod ambire, ac postulare debueram prior, id occupares, & exemplo tuo præire velles. In quo vt à te victum me esse fateor, sic obsequio, cultúque consuetudinis illius inferiorem me esse te deinceps non pa-

tiar. Ex eâdem profectum humanitate etiam illud interpretor, quòd te lucubrationibus meis tam valde affici prædicas. Quo ego fructu, si quid in istis humani spectare vellem, maiorem, iucundiorémque capere non possem. Sed prodesse me malo, quàm commendari lectoribus meis: tametsi vtrumque est optandum. Sed in te prius iccirco locum non habet, quòd nulla re à me potes abire doctior; itaque posteriore sum contentus.

Postquam amori tuo prouocationíque satisfeci; nunc respondebo quæstionibus tuis. Eæ sunt de Iuliani editione nostra omnino duæ. Primùm enim molestum id tibi euenisse scribis, quòd cùm Galli ad Iulianum epistolam ex Vaticana bibliotheca ad me missam inter reliquas ederem, Nicolai Alemanni qui eam Latinè interpretatus erat, nomen omiserim. Simul illud inquiris, quid caussæ sit, cur eidem huic epistolæ obelum impresserim, spuriámque iudicarim.

Ad hæc nobis longo sermone opus non erit. Primum enim de Alemanno interprete diuinare quî potui? cuius nomẽ ab Holstenio positum esse non memini. Mihi verò cum Nicolao Alemanno, quoad vixit, vsus & consuetudo litterarum fuit: & mortui, propter singularem doctrinam & humanitatem, viuit apud me recordatio. quem ego tãtillo hoc honore non fraudassem; si illum auctorem esse scissem Latinæ huius interpretationis; tametsi non magnam ex ea laudis accessionem eius habere fama potuisset.

Eandem porrò esse confictam ab otioso Græculo, & supposititiã epistolam, ex eo coniectura fit, quòd imperitè admodum Gallus in ea Cæsar Iulianum fratrem alloquens dicat ipsum, quantum quidem ferebat rumor, ἀποστῆναι τῆς πρώτης θρησκείας τῆς ἐκ προγόνων παραδοθείσης: hoc est, vt Alemannus noster reddidit: abdicasse primam religionem, quam à maioribus acceperat. Πρόγονοι sunt, vt ex Platone vertit Cicero, generatores: vt sunt aui, proaui, atauui. Itaque Gallus Iulianum ait ab auis & proauis suis Christianam accepisse fidem. Quo quid fingi potest obtusius? Galli, & Iuliani pater fuit Constantius Constantini Magni frater ex Theodora Maximiani Herculij priuigna. Vterque ille Constantio Chloro genitus est, cuius origo ad Claudium Imperatorem à nonnullis refertur. Neutra verò de stirpe πρόγονοι Christianam religionem ad Gallum, Iulianúmque transmisere: cùm omnes gentiles, & à Christo alieni fuerint: persecutores etiam nonnulli Christianorum. Quare planus ille tanquam ἐξ ὄνυχ παρακύψας se ipse prodidit. Mitto de Iuliano id dicere, quod ex Historico cõstat, etsi iam olim profanis superstitionibus occupatus à Christianis sacris abhorreret, nunquam tamen superstite Constantio, saltem ante Galli obitum, id præ se tulisse: sed diligenter occultasse. Vnde verisimile non est, famam eiusmodi, qualem impostor ille describit, ad Gallum peruasisse. Sed hoc minùs ad coniecturam est efficax. Illud validum & ἀναντίρρητον. quod mihi quidem; credo et-

iam & tibi, viro docto, & perſpicaci, perſuadebit, non inanem fuiſſe ſuſpicionem meam. Vale, méque vt inſtituiſti & amare, & in tuis numerare perge.

EPISTOLA XXVI.

Caſimiro Sarbieuio Societatis Ieſu, Romam.

QVAM multa nobis eodem tempore negotia ſint; hoc eſt doctrinarum tractanda genera (neque enim aliis rebus occupamur) tametſi prædicare ipſum fortaſſe putidum eſt, tacere tamen penitus non oportet. Credo enim mirari te, ac ſubiraſci mihi, quòd tamdiu iam acceptis litteris tuis nihil ad te ſcripſerim, ſic quaſi contemnam, aut officio illò tuo, ac tam prolixa voluntatis erga me tuæ, amicitiæque ſignificatione non valdè mouear. Tu verò neutrum vt de nobis ſuſpicêre, pro communi caritatis lege, próque ſingulari de te iudicio meo, maiorem in modum abs te peto. Nam nec eum eſſe te, quem parui facere debeam, vel ex eorum litteris, quibus cum viuis quotidie, vel ex tuis ipſe cognouī; & quod vltro tu notitiam, ac familiaritatem noſtram expetis, non poteſt non eſſe gratiſſimum. Primùm quoniam id, niſi iam nos amares, non faceres. Eſt autem cùm amari per ſe iucundum ipſum: tum ſi ab altero prouoceris, redamare neceſſe eſt, ac mu-

tuum referre αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι. Deinde tanta cum humanitate, ac modestia primum illum ad amicitiam nostram aditum tibi parasti; vt nimius etiam hoc in genere fuisse, & plus aliquanto, quàm necesse fuerit, voluntati erga nos tuæ indulsisse viderere. Quare prius illud magis me tuis in litteris delectabat. Nam quod inuidiosis me laudibus præter veritatem, prætérque meritum onerasti, adeò neque placuit, neque placere debuit; vt nisi alterius, quod mihi suauissimum esse dixi, iacturam vererer facere, aut nihil omnino, aut seueriùs ad te scriberem. Quamobrem istam etiam caussam tarditatis in scribendo meæ ad superiorem illam occupationum, studiorúmque nostrorum debes adiungere. Quanquam hæc sanè præcipua fuit, quòd eodem tempore tam multa támque diuersa molientem ceterarum pæne rerum obliuio capiebat, aut vt earum aliquando recordarer, quod de rescribendi hoc officio negare non possum, identidem aliud in tempus otiúmque differrem. Sed cuiusmodi nostræ illæ occupationes fuerint, insequens annus ostendet. De acumine nimis tu quidem subtiliter & acutè: vix vt ipse satis intelligam quæ tu fortasse breuiùs attigisti, quàm vt nos humi repentes assequi possemus. Ego de acuto quatenus in oratione dictísque cernitur, (nam in ceteris infinitè patet) ita sentiebam: id ita vocari, quod & præter communem vsum expectationémque sit, & cum re, qua de agitur maximè coniunctum. Ita fit vt ad genus τῶν

πρός τι pertinere videatur, ac tam diſſentanea, quàm conſentanea ambitu ſuo contineat. Hanc acuti deſcriptionem exempla illa perſuadent, quæ in epiſtola tua poſuiſti, quæque aliunde colligi innumerabilia poſſunt. Quæ ſi diligenter animaduerteris, duo quædam ineſſe videbis, propter quæ tum acuta nominantur; tum audientis animum admirabilitate, aut etiam iucunditate percutiunt: nimirum quod & παρὰ προσδοκίαν accidunt; & mirificè ad rem attinent. Quæ enim ſunt eiuſmodi, altiùs penetrant, & inſignius ſui veſtigium animis imprimunt. Hoc verò eſt τῶν ὀξέων, id eſt acutorum proprium. Mea hæc eſt de acumine acutóque ſententia, quantum celeri mentis agitatione, ſubitóque impetu conſequi potui.

Tu cùm Opus de Acumine quod polliceris elucubrabis, non dubito, quin pleniùs & acutiùs tibi ipſe reſpondeas. Vale interim, & nos amare perge.

EPISTOLA XXVII.

Rolando Mareſio V. Cl.

ITA prorſus eſt, vt ſcribis, erudite MARESI, neque valde mirari attinet, perpaucos ætatis huius homines in vtroque doctrinæ genere eſſe præſtantes, tum eo, quod elegantibus, ac politis artibus conſtat; velut Grammaticâ, quam Criticem Polybius appellat; & variarum

linguarum ſcientiâ: tum nobiliore altero, cuius regnum Philoſophia, & Theologia inter ſe partitum obtinent. Atqui ſumma eſt, inquis, amborum conſenſio, & vſu ſecum, ac conſuetudine copulantur; vt à ſe mutuò diuelli, ac diſſociari neutrius interſit. Verè id quidem à te commemoratum arbitror: ſed cur mirum videri non debeat, cauſſæ ſunt admodum multæ: è quibus vulgares, & obuiæ ſunt iſtæ; amplitudo ſingularum, & propemodum infinitas; breue ſpatium ætatis; neceſſarij ad otium ſubſidij, reíque familiaris anguſtia; corporis imbecillitas; turbulenta tempora, & ſtudiis inimica pacis; complura id genus alia, quæ ingenij retundunt, & hebetant aciem, ardorémque reſtinguunt. Sed eſt vna reconditior adhuc, & ſolis alumnis nota Chriſtianæ ſapientiæ; quæ ex ſummi, & hominum amantiſſimi creatoris prouidentia petitur: quæ quidem ſimiliter ac terrarum per diuerſas regiones indolem, & vbertatem; ſic animorum procliuitatem, captúmque mirabili varietate diſpenſat: vt non promiſcuam omnibus omnium copiam indulgeat. De huiuſmodi diſſimilitudine locorum præclarè hoc alicubi Chryſoſtomus; Deum certarum rerum prouentum quibuſdam dediſſe terris, negaſſe ceterarum; ac viciſſim quod his detraxit, aliis attribuiſſe: ne contenta ſuis opibus, & nullius egens aliqua, exterorum contemptum incolis ſuis afferret: atque vt alterna illa copiarum egeſtas, & compenſatio, omnes inter ſe conciliatos, & pacatos haberet: ex quo

longinquæ peregrinationes, commeationésque gentium, & commercia terrâ maríque negotiantium: quibus mutua generis humani caritas, & ſocietas alitur. Licet iſtud ipſum ad ingenuo dignas homine diſciplinas transferre. Nam alios præſtare aliis artibus, & inuentis voluit Deus; nec ab vno tanquam communi fonte, quæ ſcire cuperent, haurire ſingulos: ne ſe ille arrogantiùs efferret, atque inter homines cuiuſdam principatum diuinitatis aſſumeret. Vide amabo te, quàm multi ſint, in vna quapiam etiam inferiorum artium, qui quòd multis anteferri ſe vident, infra ſe poſitos omnes deſpiciunt, próque nihilo ducunt. Eſt in hiſtoriis fuiſſe medicum neſcio quem: Menecratem opinor vocabant: qui cùm ex profeſſione hac & ad quæſtum, & ad nominis gloriam profeciſſet, amore, opinionéque ſui miſerè perditus, Deum ſe appellauit ipſe, & appellari ab omnibus voluit: credo quòd vitæ, necíſque, itidem vt Deus eſt, arbiter haberi cuperet. Quid in reliquis ſtudiis? Duo epiſtola tua commemorauit, vnum Grammaticorum ſiue Criticorum: alterum Philoſophorum. Nam de Theologis ἄστομά μοι κείσθω. Ergo vt vtroſque paucis perſtringam: ſcis priorum poſtremis his ſæculis duobus quanta vilitas fuerit: in pleriſque verò quæ animorum feritas, & immanitas: quanta in eorum libris libido rixandi; quanta ſtili petulantia: quàm ſæpe paruis de rebus, de litterulis, ac voculis internecina orta ſint odia, & certamina; tanquam de

salute patriæ, déque capite suo, & ciuium omnium agatur.

De Philosophis nihil ad hoc testimonium addi potest, quod in ea, quæ est ad Romanos epistola, grauissimum, ac verissimum dixit Apostolus: vbi postquam illos in omni doctrinarum genere perfectos extitisse docuit, cóque peruenisse, vt ex intima rerum creatarum contemplatione ad creatoris se cognitionem attollerent; tandem ipsis refert suam fuisse fraudi excellentem, & propè diuinam scientiam: quâ elati, & inflati in horrendam cæcitatem prolapsi sunt. *Quoniam cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Verùm ne longiùs in istis eruditorum persequendis ruinis sermonem protraham, & vt eò me reuocem, vnde sum ad illa delapsus: non alia mihi visa causa verisimilior est, propter quam Deus, cuius vnius nutu infima quæque, præsertim humana gubernantur, terminis quibusdam definiri voluit ingeniorum modulum atque captum: vt aliorum egentes operâ, vicissim & ipsi de sua libenter accommodent: nec se solos αὐτάρκεις, & fortunatos existiment.

Atque hæc quidem bene perspecta, & considerata ratio id quidem potest, ac debet efficere, vt litterarum cupidi in omnibus disciplinis excellere se posse diffidant; nec huius rei

gratiâ nimium doleant : non autem vt certo delecto genere, in quo habitent, & præstare studeant, non ex ceteris, illius, quam arripuerunt, adiumenta, vel ornamenta conquirant. Scitum illud est apud Xenophontem Socratis; non omnes omnibus perfectè discendas, & exhauriendas esse artes: sed tantùm de singulis capiendum, quantum necesse videbitur. Quod si fieret, plus esset eruditionis in plerisque, ac perturbationis, & molestiæ minus. Hoc igitur sequantur, qui bene docti esse cupiunt, & vnam de cunctis amplectantur scientiam; in qua sedulam, & præcipuam operam collocent: ex aliis verò, &, quoad fieri potest vniuersis, tantùm degustent, ac deriuent, quantum satis sit ad excolendam, illustrandámque primariam. Ita fieri poterit, vti compos omnium sit vnus; qui quidem sobriè tanquam vino, sic illarum cognitione vti velit ad salubritatem, non ad ingenij ostentationem, & iactantiam. Tum illa verò epistolæ tuæ querela præcidetur; quæ arctissimo inter se nexu colligatas, & fœderatas artes distrahi non æquo fert animo; & ad pristinum orbem reuocari iubet; vti mutuo sibi emolumento, & splendori esse pergant. Tunc & boni Philosophi, non mali Grammatici; & hi vicissim, si id curent, Philosophi probabiles esse poterunt: quales & olim fuisse tibi assentior, & hoc tempore, si me audierint, non despero fore. Nec de Philosophia duntaxat ita sentio; sed etiam de peruagata in scholis diuinarum rerum scientia: cui

& ipſi plurimum ex humanitatis ſtudiorum commercio adiumenti comparare licet; præſertim ex Grammatica: ſaltem vt in rebus ſuis explicandis detersâ barbarie, condîtam nitore aliquo ſermonis orationem afferat. Quanquam non is ego ſum, qui inconcinnè, & ſubruſticè loquentem theologiam, deridendam, vel damnandam omnino cenſeam: quod nonnulli faſtidioſi, ac delicati ſtomachi faciunt. Et quoniam meum tractandæ illius inſtitutum commendabat epiſtola tua, ídque placere ſibi ſignificabat, quòd in theologicis exponendis dogmatibus, ſermonis offenſionem vitare ſtuduiſſem, paullulum hîc immorari volo, ac tibi illos excuſare munditiæ in loquendo negligentes, & eorum apud te cauſam agere.

Ac Latinitatis quidem in ſcribendo puræ, elegantíſque copia quàm non paratu facilis ſit, nemo te meliùs exiſtimare poteſt: qui & in eo multum elaboraſti, & laboris fructum hac ætate ſingularem es aſſequutus. Illud verò cùm per ſeſe, & in omni genere argumenti ſpiſſum, operoſúmque ſit: tum multo difficilius eſt, cùm obſcuris, nec politæ antiquitati cognitis in rebus diſputandis adhibetur. Quod equidem duabus de cauſis euenire arbitror. Altera eſt, quòd eodem tempore in duo, & quidem genere diſſimilia, ſcribentis animum diuidi neceſſe eſt: cùm & rerum ſubtiliſſimarum intricatas notiones euoluere, & quibus eas verbis ornet, ac veſtiat, cogitare interim oporteat. Altera eſt cauſa inferioris ætatis, & noſtræ propria; quòd

ſpinoſæ

ſpinoſæ, ac perplexæ commentationes illæ, in quibus enodandis defuiſſe noſtris Latinæ cultum dictionis docti homines queruntur, nouæ ſunt, & priſcis illis Romanæ concinnitatis auctoribus inuſitatæ; ac propterea nullo ab iis ornatu ſermonis expolitæ. Ita fit, vt cùm viuere iamdudum Quiritium lingua deſierit; nec aliunde, quàm ex illorum monimentis, exquiſitarum vocum, & locutionum copia ſuppetat: hoc deſtituta præſidio noſtrorum induſtria, nihil dignum vetere opulentia poſſit expromere. Quo minus iraſci conuenit acutis illis, & ſollertibus viris; qui cùm philoſophicas, & theologicas quæſtiones enucleare inſtituiſſent, ita ſe penitùs in earum contemplationem infixerunt, vt omni curâ elocutionis abiectâ parum Latinè ſint locuti. Quos enim in talibus ediſſerendis adhibere magiſtros ex erudita antiquitate potuerunt? aut quibus tandem vocibus illa declararent, quorum nullum iſtorum in libris veſtigium relictum cernerent? Itaque neceſſitatem verterunt in legem, & inuenta, cogitatáque ſua rudi, & incompoſito ſtilo ſic inſueuere proloqui: vt iam philoſophorum, & ſcholaſticorum more ſermocinari, ſit idem, quod barbarè, opicéque dicere. Atqui fuit aliquando tempus, cùm Scholaſtici nomen, & quod ab eo deflexum eſt, Scholaſticè loqui, in præcipua docti, & elegantis ſermonis laude poneretur. Nam & Scholaſticum appellare mos fuit eruditum, & in bonarum artium diſciplinis exercitatum hominem: & Scholaſticè dicere, vel ſcri-

bere, idipſum erat, quod ex arte, præceptíſque rhetorum affabrè factam orationem contexere. Nunc mutata ſunt tempora; cúmque his, vſus & conſuetudo loquendi. Quod arbitror moderatè ferendum vobis eſſe leporis, & vrbanitatis amatoribus, ac cum Latinæ facultatis inopia compenſandam tot acutè inuentorum ſollertiam. Quanquam non ad omnes generis iſtius, & ſectæ theologos querela veſtra pertinet. Nam aliqui inter eos extiterunt, ſi minùs, quàm vos, facundi, & ornati; non tamen putidi, ac ſatis commodè, bonı́ſque verbis, diuinis de rebus explicantes. Quis autem ampliùs aliquid ab illis requirat? niſi fortè dicendi veneres, & oratorios calamiſtros diſciplinæ vtriuſque natura deſiderat.

Verùm de hoc argumento non eſt propoſitum hîc agere: quod in prolegomenis tomi primi theologicorum dogmatum cumulatè præſtiti: vbi illud expoſui, quodnam ſit theologicis quæſtionibus tradendis accommodatum dictionis genus: & cuiuſmodi in illis conſcribendis ſim ipſe perſecutus. Cuius ad extremum ſumma hæc eſt confecta; neque turpiter, ac non Latinè loquentem decere eſſe theologum: vt de philoſopho modò taceam: neque tamen oratorio illo fuco, & pigmentis pueriliter excultum. Quod decori, & ad vſum congruentis ſermonis temperamentum cùm eſſem meis illis in dogmatibus exprimere conatus, inuentus eſt tamen ex illa fæce Armacanorum theologorum, cui noſtra hæc in Latinè ſcriben-

do cautio, ingenua, vt opinor, & necessaria displiceret; ac mihi quòd nimis disertus, & vt interpretabatur, Ciceronianus esse mallem, quàm trito, inueteratóque more inamœnus, & incomptus, probro verteret. Adeo difficile est satisfacere omnibus, & infectum, inolitúmque non minùs animis, immo multo his magis, quàm corporibus, morbum, & vitium eluere. Ego verò aspernari leuissimos homines, & eorum conuitiis nihil moueri quotidie condisco: præsertim in illis, quæ tu cùm tanti facias, & ab ea, quam morosus iste vituperauit, parte commendes: ineptus sim, si priori illi meo, subscriptione corroborato tua, obscuri & ignoti theriacopolæ iudicium anteponam. Vale, méque, vti facere instituisti, amare perge.

EPISTOLA XXVIII.

VALDE me delectat impetus ille animi tui, quo te in litterarum studia ferri video. Nec minùs illud afficit: quòd ad eum ardorem iudicium affers & prudentiam. Id adeo ex illa tua postulatione intellexisse videor, quâ methodum & ordinem quendam à me elicere cupis, quo tu deinceps in illo cursu progredi possis. Faciam ergo quod iubes, nec tui tantùm caussâ, sed etiam aliorum quos idoneos iudicaueris, certam quandam rationem explicabo, non illam quidem reconditam, sed eius-

modi quam tibi & aliis, qui perinde ac tu cursum hunc litterarium auſpicantur, certiſſimam & expeditiſſimam fore confido.

Qui igitur in ipſo docendi tirocinio, priuatim conſulere ſibi, ac ſuorum ſtudiorum habere rationem inſtituunt: tria potiſſimum perſequi, & in iis elaborare oportet. Primum eſt orationis vtriuſque ſtilus, hoc eſt ſolutæ numeris, ac deuinctæ; alterum Græcæ linguæ peritia; tertium varietas eruditionis, & Latinorum, Græcorúmque ſcriptorum vſus & conſuetudo. In his præcipuè tribus illorum occupandus eſt labor. Sed hoc imprimis admonendi ſunt, vnum aut alterum annum duabus in primis exercitationibus, hoc eſt procudendo Latino ſtilo, ac Græca eruditione collocandum eſſe, tertium vſu iam ac diſciplina maturioribus paulatim adeundum.

Matutinum ferè tempus in recolendis primùm Rhetoricæ præceptis, Cicerone legendo, ac ſcriptione tranſigant. Præcepta per id tempus non aliunde quàm à Soaris elementis, ac technicis Ciceronis libris, haurienda ſunt. Igitur primos omnium oratorios euoluat, tres inquam qui de oratore ſunt inſcripti; tum oratorem ad Brutum, qui ad artificium illud, quod vocant oratorium, ac nitorem orationis, & cultum, ſingularia adiumenta ſuppeditat. Adiungat & recentiores aliquos qui de figuris ac numeris breuiter, accuratéque ſcripſerint, cuiuſmodi nunc Strebæus occurrit. Quamquam vt è Cicerone præſertim, & Quintiliano, lepos iſte di-

ſcendus orationis eſt, ab illo etiam vſus ornamentorum omnium, atque exempla comparantur.

Primum & ſecundum ferè menſem in ſola præceptorum lectione, ac Ciceronis tractatione, ſine vlla ſaltem ſeria ſcribendi exercitatione, conſumat. At particulas interim orationis aliquas, velut exordia, communes locos, ſcriptitare nil prohibet, tanquam periclitandi ſui, vel eius quod legerit, imitandi gratia. Caueat ne Ciceronem cùm in manus ſumpſerit in ſeligendis ac deſcribendis loquendi formulis, ac figuris, & id genus ceteris, abutatur otio. Quin pauciſſima per id tempus annotet, ne contentio ipſa legendi, quæ ſingularem in nobis eloquentiæ formam poteſt exprimere, toties interpelletur. Exacto ad ſummum altero menſe, ſcribere deinceps aliquid incipiat, & quod legerit imitando conſequi. Scriptiones porrò in omni cauſarum genere verſentur, ac nonnunquam etiam epiſtolæ ad exemplar Ciceronianum elaborandæ ſunt.

Primis menſibus poëticam ne attingat omnino, donec Ciceronianam elegantiam penitus animo ac ſtilo combiberit: reliquis deinde bis térve per hebdomadam, Latinum carmen meditari poterit; ad ídque priùs Virgilij ſe tractatione perpoliat, quem vnum in heroïcis admirari æmularíque conuenit, Statio, Claudiano, ac reliquis tantiſper omiſſis, donec Virgiliano characteri ſic aſſueuerit, nihil vt ex deteriore allini atque adhæreſcere poſſe

confidat. Nam in omni, quæ quidem seriò suscipitur, exercitatione scribendi, consectandum illud est, vti certum propriúmque genus exprimatur, non ex variorum ac dissimilium scriptorum imitatione, mixtum atque confusum. Errat autem, qui aut Ciceroni soluta in oratione; aut in carmine, Virgilio auctorem anteponit vllum.

Multum verò Latinæ ad orationis facultatem pertinet, præter Ciceronem adhibere certos interdum è recentioribus, qui se Ciceronianos fuisse studuerint, cuiusmodi est Perpinianus, Muretus, Manutius, Sadoletus, Longolius, & Itali quidam superioris sæculi. Nam & illorum consuetudine, nescio quomodo paulatim ad Ciceronis imitationem assurgimus, & ea tractant argumenta quæ sunt vsui nostro, & scholis accommodatiora; cùm alioqui Ciceronis orationes in forensibus controuersiis, à quibus alienæ sunt exercitationes nostræ, pæne consistant vniuersæ. Sed illi rariùs, & cursim adeundi sunt, in vno verò Cicerone commorandum, in eiúsque lectione propemodum habitandum: vt is se plurimum profecisse sciat cui, vt ait Quintilianus, Cicero valdè placebit. De stilo dixi: proximum est, vt de Græcæ linguæ disciplina præscribam.

Tametsi primis, vt dictum est, mensibus, perpoliendi stili Latini primaria esse cura debeat: eodem nihilominus tempore, vt ne similitudine occupationum fatigetur animus, sed

nonnulla varietate recreetur, certæ Græcis horæ ſeponendæ ſunt, maximè pomeridianæ. Principio Grammaticæ præceptiones reuocandæ in memoriam erunt, atque vſu continuo, & mutua quoque contentione, penitus in animo defigendæ; tum auctores tentandi initio faciliores, quales ſunt Æſopi fabellæ, Plutarchi apophthegmata; Aphthonij progymnaſmata, cum fabulis; vitæ Plutarchi, Xenophontis opera, Lucianus, Herodianus, Iſocrates, Heliodorus, Demoſthenes, Plato, Themiſtius. Inter legendum non nimis ſunt enucleanda, & ad viuum reſecanda ſingula, ſed mediocri vocabulorum & orationis luce contenti quamplurima percurrant, intelligántque nulla alia ratione Græcæ linguæ copiam, quàm multa, & conſtanti veterum lectione comparari. Quoties aliqua vox occurret, cuius ſignificationem neſciunt, eam in pugillari notent, quem libelli in morem ſecum habeant, & collectas voculas identidem recognoſcant, mandéntque memoriæ.

Biennio confecto, ſuperiores quidem exercitationes, quoad licet, retinendæ ſunt: ſed de temporis in exercendo ſtilo diuturnitate deducendum, déque Græcis aliquid, quod in eruditionis variæque doctrinæ ſtudio collocetur. Ea ex veteribus maximè retinenda, quæ quidem hiſtoriæ, antiquitatis Romanæ, Græcæque, & vtriuſque ſcriptorum vſu continentur. Sed antequam in hiſtoriam ſeſe penitus immergant, duo comparata debent eſ-

se præsidia; alterum Cosmographiæ, vel Geographiæ; Chronologiæ alterum; vtraque tamen initio, sed hæc posterior maximè, leuiter adumbranda erit, non accuratè penitúsque perscrutanda: posteà si vsus & voluntas erit, maior adhiberi diligentia poterit.

Historiarum ab Romanis repetendum est principium, in quibus Liuium cum Dionysio Halicarnassensi componet; ad eósque, duces applicabit Sigonij Fastos, ídque adeò studebit Romanæ vt antiquitatis, & historiæ sit apprimè peritus. Quam in rem Sigonij, Onuphriíque libros omnes, qui de Romanis antiquitatibus moribúsque disputant, attentè perlegat. Ab ea porrò parte, quæ de Magistratibus agit, ordiatur: cuius, vt & partium reliquarum, ab Rosino rudimenta petuntur.

Criticos recentiores, vt Lipsium, Turnebum ac ceteros, subseciuis horis, ac certis per hebdomadam temporibus leget, & eorum ipsemet exemplo quæ inter legendum castigatione, obseruationéque digna iudicauerit, de iis coniecturas suas in commentariolum redigat.

Locos communes deinceps studiosè conficiat: quorum qui contemnit vsum, nihil vnquam iis in studiis insigne consequetur. Sed ea tantùm seligat quæ minùs trita vulgò, aut ad vsum certè quotidianum necessaria cognorit: quę verò iam aliorum lucubrationibus occupata sunt, & commentariis librísque comprehensa, ea summatim delibet, & ad fontes ipsos digi-

tam intendat. Ob id communes instituere locos non antè expedit, quàm sit paululum vsu librorum, iudicióque maturior.

Temporis partitionem vtpote iam doctrina corroborati sibi præscribent ipsi: quæ pro ætate cuiusque ac profectu, tum schola cui præficiuntur, non vniusmodi præscribi potest.

Ad hæc omnia genera priuatarum exercitationum, adiungendum est diligenter studium Latini sermonis, non eius solùm, qui maiore otio, & labore, in meditatis, & affabrè quodammodo factis orationibus expromitur, sed quotidiani, & familiaris. Is est duplex: nam alter in priuatis colloquiis, alter in scholis, enarrandis auctoribus assumitur. Ac cùm sit vtrumque dicendi genus ab oratorio diuersum; quod eo minùs limatum, & ad Ciceronis archetypum incuriosiùs exactum esse debeat: posterius tamen, quod in prælectiones insumitur, maiorem vt ornatum, & copiam, sic operam, & contentionem requirit. Quocirca formandi sunt ad vtramque palæstram domesticis assiduísque commentationibus præceptores nostri: atque in familiari quidem sermone multum adiuuat, proprias rerum omnium appellationes, partim obseruatione Latinorum veterum, partim recentiorum quorumdam lectione condiscere: qualis est nomenclator Hadriani Iunij, prædium rusticum Caroli Stephani: ex antiquis autem Columella, Plinius, aliíque similes, qui in magna rerum, ac verborum vbertate versantur. Cauēdum est autem, ne

in pedestri illo sermone, longiores, ac numerosos circuitus, & proprias oratorum dicendi formulas immisceant, quod paucissimi hodie deuitant. Fatendum est enim plures hac ætate reperiri qui copiosè, & disertè, quàm qui Latinè loquantur: cuius rei causa hæc est, quòd Latinam linguam non aliunde quàm ex libris, ac lectione comparamus. ita fit vt cùm libri numeroso illo verborum, ac sententiarum ambitu conclusam orationem præbeant, idem dicendi genus imprudentes, etiam ad vsitata colloquia transferamus: quod esse vitiósum sermonis vernaculi similitudo demonstrat. Si quis enim itidem loquatur vt scribi solet, is non hominum more confabulari, sed nugari, aut insanire putetur.

Ad orationis perpetuæ facultatem, quam scholasticam sanè nominemus, magnopere conducet priuatim sibi prospicere quemque: si id minus in commune fieri possit: crebróque secum, vel cum aliquo de collegis suis, Latinè cōferre sermonem, tum fabulas & historias, primùm meditatò, pòst interdum ex tempore dicere, aliàs de iis quæ apud auctores legerit, prælectionis in módum, quasi ad discipulos verba facere: quæ quo libentiùs susceperit, eo ad docendum paratior, & instructior accedet. Nam ex omnibus scholarum officiis id esse difficillimum constat, Latinè dicere: sic vt expeditè, non tractim ac titubanter id facias, tum verò eleganter & ornatè.

Hæc habui quæ de studiorum ordine, pau-

cis, & quoad poteram accuratè, perſcriberem. Tu niſi quid melius his habes, iis vtare cenſeo, ac meam cauſſam apud communem Dominum agere pergas. Nihil hoc mihi gratius facere potes. Vale.

EPISTOLA XXIX.

NVPER his contractioribus noctibus, cùm inſomniâ laborarem, ſubiit animum hęc recordatio: clariſſimos quoſdam viros in pari cauſsâ Perſij prologum Græcè vertiſſe. Quos vt imitarer, temperare mihi non potui, quin & ego quid hac in re poſſem experirer, ac tecum communicarem, vt ſomnij perinde ac vigiliæ fructus tibi aliquis extaret. Sic igitur Latinos illos ſcazontas Græcis totidem expreſſi.

Οὔτ' αὖα τέγξα χεῖλε' ἱππίῳ κρήνῃ.
Οὔτ' ὄναρ ἄχρηστιν ἐν διφυέσι Παρνασοῦ
Εἶδον, ποιητὴς ὡς παραυτόθεν φωναι.
Ελικωνίδες, ϗ ὠχριῶσα Πειρήνη
Κείνοις ἀφείδω, ὧν κατ' εἰκόνας σέψας
Κιττὸς διέρπει. ἀλλ' ἐς ἱερὰ πιιατῶν
Ημιπολιήτης τὐμὸν εἰς ἔπος πέμπω.
Τίς ψιττάκοις ἤγθρωσε τὸ σφέων χαῖρε;
Κίττας τε τίς δίδαξεν αὐδεικὴν φωνήν;
Τέχνης καθηγεμὼν, νόου τε δώτειρα
Γαστὴρ, παρὰ φύσιν φθίγματ' ἐκμαθεῖν δεινή.
Εἰ δ' αὖτε δολεροῦ νομμίου φάνοιτ' ἐλπὶς,
Κόρακας ποιητὰς, ϗ ποιητρίας κίττας
Αδειν δοκοίης Πηγασίνην ᾠδήν.

EPISTOLA XXX.

Iosepho de Voisin V. Cl.

LIBRI tui specimen, quod ad me recensendum, castigandúmque misisti, VIR CLARISSIME, reliquit me ex censore, ac magistro, rediens ad te, admiratorem suum. Adeo multa in eo legi præclara, & scitu digna. Sed imprimis argumento ipso placuit: quod amplum per se ac magnificum, tractatione ipsa splendidius illustriúsque fecisti. Quid autem Christiano Theologo iucundius atque optatius esse debet, quàm quod illîc agitur, vt fidei dogmata ex ipsorum, qui implacabiles sunt illius hostes, Hebræorum placitis, & decretis adstruantur? Sed inest prætereà illo tuo in opere non vulgaris iste fructus, quòd inueteratus ex eo conuincetur error non minùs bonis artibus, quàm Christianæ rei perniciosus. Nam sunt plerique nec obscuri, nec contemnendi ceteroquin homines, quibus Hebraismi studium, vel omninò displicet: vel tantùm in eo collocari operæ, minùs profectò placet. Quod ipsum duabus de causis sentire illos animaduerti. Primùm quòd inde præsidia subministrari putant nouitatis in religione plus æquo cupidis hominibus, quibus ad Catholicæ simplicitatis, auctoritatísque contemptum illorum

acuitur, & armatur audacia. Deinde quòd ita persuasum habent, nihil in reconditiore Rabbinorum supellectili, præter commentitias res, & aniles, ac ludicras contineri fabulas: quos quidem accuratiùs explorare, vti nihil obsit (quod tamen difficile sit credere) certè nihil ad veram, solidámque scientiam admodum intersit. Hæc igitur duo quæ Hebraicarum litterarum alioquin appetentes, absterrere solent, tuo illo ex opere depelli, ac refutari magnoperè gaudeo. Nam & discent qui hoc legere volent, quanto ad rem catholicam tuendam, & ornandam adiumento disciplina ista esse queat, si non minùs prudenter, quàm eruditè tractata fuerit: & non pauca inesse istic intelligent, quorum ne graues quidem, & apprimè pios, Theologos pœnitere debeat.

Atque vt desint cetera, quãti tandem illud æstimandum est, quod ex tuo armamentario in promptu nobis ea sunt, quibus recentiorum ex illa fæce Iudaismi frangi, ac reuinci contumacia poterit? Quæ hominum natio etsi plumbea sit, & communem cum vera pietate sensum, ac rationem amiserit; tamen dum se maiorum suorum sententiis, quorum proxima est apud illos ab sacris libris, immo par æqualísque dignatio, tam perspicuè refelli viderint, non poterunt, nisi dedoceri, ac resipiscere velint, sine pudore aliquo, & æquiore in nos animo discedere. Non est autem in censu, & apparatu Christiani Doctoris ac Theologi, postremo numeranda loco vis, & facultas illa Iudaïcæ co-

arguendæ perfidiæ: vt à quo populo lucis, & ſalutis per Chriſtum in nos primordia deriuata ſunt, nos in illum viciſſim eadem iſta, per quæ ſalui ſumus, fidei & Chriſtianæ veritatis beneficia conferamus. Mihi quidem, vt de me profitear, non parua videtur futura hæc acceſſio ad Theologicorum noſtrorum dogmatum commentationem: in qua me ſcis occupatiſſimo nunc animo otióque verſari. Tum verò impenſiùs hortor, vt in eo, quod feliciter inſtituiſti, quoad tuo, publicóque commodo poteris, gnauiter & impigrè perſeueres: itáque prorſus habeas; primâ iſtâ lucubratione tuâ non perfunctam & abſolutam apud nos fidem & induſtriam tuam; ſed ad vberiora poſthac iiſdem ex Hebræorum, & ingenij tui fontibus proferenda, deuinctam, & oppigneratam teneri.

Verùm hæc adhuc ſperanda ſcilicet, & poſt modum opera, ſtudióque tuo fruenda ſuccedent. Quod autem moliris in præſens, & cuius mihi guſtum ac ſpecimen repræſentaſti, ſi iis quæ legi, cetera, vti confido, reſponderint, magno mihi tum ad illam, qua ſum erga te vſus, hortationem incitamento ſunt: tum ad communem exorandum Dominum, tibi vt ad exequenda reliqua, corporis animíque vires ſuppetant: & illius, quod iam edideris, fructus ex communi vtilitate, & proborum ac doctorum approbatione conſtet. Vale, vir eruditiſſime, & me vti facis, amare perge.





DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS E SOCIET. IESV EPISTOLARVM LIB. III.

OFFICIOSÆ.

EPISTOLA I.

Vrbano VIII. Pont. Max.



IFFICILE est bonis in rebus, ac prosperis modum tenere: (SANCTISSIME PATER) & quos secunda quædam fauoris aura prouexit; ij longiùs, quàm initiò putabant, aut quàm pudentes decet, nonnunquam feruntur. Id adeo in me sum expertus ipse: qui nuper honorifico S. T. iudicio,

& Apoſtolicis ornatus litteris, contineri non potui; quo minus ad eum me benignitatis portum, quem mihi ſemel patefactum videram, eâdem ſpe rurſus, ac fiducia referrem. Hoc verò eatenus maiore, quàm dudum, audacia nunc inſtitui facere, quòd te non ſolùm publicè appellare ſum auſus cum eius generis munuſculo, quo mihi ad gratiam tuam aditum paraueram: ſed has etiam priuatas adieci litteras, parum fortaſſe verecundè, pænéque familiariter. Verùm vt hoc ſuſciperem, cùm tua priſtina in me benignitate, tum quodam inſuper religionis ac pietatis officio ſum adductus. Cuius officij ratio etſi eſt à me verſibus iis expoſita; quibus Latinum, Græcúmque poëma nomini tuo conſecraui; eandem tamen ſolutis, ac dilucidioribus verbis iterari hoc loco patieris.

Colitur hac in vrbe incredibili populi veneratione B. Genoueſa: quam multis, maximíſque miraculis illuſtrē, imprimis verò curatione morborum, Pariſienſes ſibi olim patronam adoptarunt: éſtque illius nomini dicatum cum æde ſacra Cœnobium; cuius Abbas eſt hodie Eminent. Franc. Cardin. Rupifucaldus, virtutum vir omnium laudibus excellens. Huius ego iuſſu, & hortatu ante annos vndeuiginti Officium vt vocant, Eccleſiaſticum Sanctæ illius Virginis de integro ſcripſi; quod Romam ille miſit, ad ſacrorum Rituum Congregationem; vt eius decreto probatum manaret in publicum, & vſui omnibus eſſe poſſet. Ac decretū quidem

de

de illo iamdudum sacra Congregatio fecit: sed ab scrinij magistro istud impetrari non potuit. Quocirca ab S. T. enixè peto, vt quod sacra illa Congregatio sanxit, ratum esse iubeat, nobísque Decreti illius copiam facere dignetur. Est illa quidem perexigua postulatio, nec tantæ maiestatis auribus fortasse digna; sed pro meo erga sanctissimam patronam amore, ac studio, id in magni beneficij loco numerabo, fiámque ad preces pro tua incolumitate fundendas alacrior, vt Sanctitatem tuam, (quod à Deo supplex optare soleo) his affixam Ecclesiæ gubernaculis, ac pro voto omnia gubernantem, quàm diutissimè conseruet. Vale.

EPISTOLA II.

Vrbano VIII. Pont. Max.

VERISSIMVM illud est, BEATISSSIMI PATER, quod de Romana vrbe veterum quispiam dixit, longiùs eam Christianâ religione ac pace, quàm armis fines imperij protulisse. Cuius rei fidem antea nos ex annalium repetere memoria soliti eramus: nunc oculis ipsis quotidie vsúque nostro, iis in locis populísque aspicimus, ad quos propagandi causâ Euangelij iamdudum sumus profecti. Nam cùm hos in extremis sitos Mundi partibus, & ab orbe nostro Romaníque communione nominis, non tam vastissimo terræ ac maris inter-

iectu, quàm immanitate ac barbarie disiunctos; ad oblatam lucem accurrere tam cupidè ardentérque cernimus, atque ignotum cum Christo, sedis Apostolicæ nomen & principatum admittere: neque de eo, quod dixi, dubitare possumus; & illi ipsi tanti auctori boni Christo, ac tibi huius vicario gratulandi finem nullum facimus. Hunc nos gratulationis officiíque sensum, quandiu intra modum constitit, ac coërceri se passus est, tacitum inter nos habuimus; neque ad tantæ maiestatis notitiam per nos ipsi propagare ausi fuimus. Sed vbi quotidianis auctus successibus maiorem efferbuit in modum; vicit pudorem omnem ac verecundiam, méque simul obscuritatis oblitum meæ coëgit priuatim de iis ad Sanctitatem tuam litteras dare. Itaque dabis hanc audaciæ meæ veniam, si pro officij mei munere, ac rei magnitudine, id mihi sumo, vt de rebus nostris nouæque Ecclesiæ quæ hîc sub auspiciis Sanctitatis tuæ coaluit, ea perscribam, quæ tibi non ingrata nec iniucunda confido fore.

Regionem incolimus, quæ in Americæ parte Septentrionali sita, noua vulgò Francia dicitur. Ea secundùm sancti Laurentij flumen extenditur: quod longè latéque exporrectum, magni instar maris habet. Huius ripas Francorum aliquot familiæ obtinent; quibus sacra ministrant societatis nostræ homines: summâque inter se pace ac tranquillitate viuunt omnes, sub eius ductu ac tutela, qui Regis nomine hanc prouinciam administrat. Is eques est

Melitensis, D. Montemagnius, rarâ vir pietate ac prudentiâ: cuius exemplo & auctoritate plurimum inter Gallos virtutis studia promouentur.

Iam barbarorum & indigenarum vagi alij sunt, nullâ certâ sede ac domicilio; alij per pagos habitant: omnes partim venatu, ac piscatione; partim Indico frumento, paucísque terræ fructibus, miseram atque inopem vitam ægrè tolerant. Bella inter eos pæne continua sunt; ac prælio captorum hostium, itidem vt per totam Americam fieri solet, carnibus vescuntur. Horum tamen complures longâ nostrorum patientiâ obsequióque deliniti, paullatim mansuescere cœperunt, ac feritate positâ ad Christi se fidem applicarunt. Nam & ædiculas sacras, quas illic extruximus, non infrequentes adeunt, & doctrinæ Christianæ faciles attentásque aures accommodant, & baptismum ardenter petunt. Quibus autem id concessum est, sacramenta & sæpius, & magno sensu pietatis vsurpant. Horum etiam nonnulli nostris consiliis ac precibus adducti vagari desierunt, ac fixis sedibus iuxta nos habitant. Quæ vnica summéque necessaria est ratio, quâ Christianam ad fidem transferri, & in ea contineri possint. Nam si certas habere domos, & in commune degere, agrósque colere instituerint: spes est totam hanc propediem barbariem Christianam fore, ac nouam illic instituendam Ecclesiam, quæ non minima ad Sanctitatis tuæ decus ac pastoralem solicitudinem futura sit ac-

cessio. Quam in rem dum totis viribus incumbimus, Sanctitatis tuæ pedibus affusi petimus, vti conatus nostros Apostolicâ benedictione ac gratiâ prosequi, & nascenti huic Ecclesiæ eadem, quæ Indis pridem attributa sunt, beneficia impertiri digneris.

EPISTOLA III.

Ad S. D. N. Vrbanum VIII.

Nomine Religiosorum ordinum totius Franciæ.

IAMDVDVM Beatitudini tuæ cognitum esse confidimus, Beatiss. Pater, quantæ identidem hîc turbæ fieri soleāt, super religiosis ordinibus, eorúmque priuilegiis, quæ ad iuuandam operâ suâ Christianam rem sedis vestræ beneficio sunt adepti. Quos contentionum tumultus cùm per hos dies instaurari Christianissimus Rex animaduerteret, dignum pietate sua, & prouidentia putauit, maturè opis aliquid afferre; ne ad publicæ quietis perniciem discordia illa pertineret. Itaque de consilij sententia nuperrimè decreuit, nihil Religiosis negotij ob hanc rem facessere quenquam oportere: neque prohibendos esse, quo minùs iure vti suo, priuilegiísque omnibus possint: quod si qua de iis, aut eorum vsu lis & controuersia esset orta, eam S.T. cognitioni, & iudicio permitti voluit. Præ-

clarè ille quidem, & vt Rege Christianissimo, ac primario Ecclesiæ filio dignum erat, vt de Ecclesiasticis caussis communem ad parentem, atque Ecclesiæ principem referret; neque sacris disceptandis controuersiis ciuilem auctoritatem interponeret. Quamobrem & illius nos regij decreti, & temporum nostrorum necessitas hortata est, vt supplices ad S. T. pedes accideremus; indéque necessaria præsidia peteremus pacis, & otij; quibus constitutis, tum Ecclesiæ Gallicanæ; tum S. T. & episcopis omnibus commodare alacriùs nostrâ operâ possimus. Quòd si priuata tantummodo nostra res ageretur, B. P. minùs laboraremus. Nunc id præcipuè nos mouet, quòd hæc omnis caussa verbo nostra est; re autem vera, sedis Apostolicæ, Ecclesiæque totius. Caput enim hoc iurgiorum omnium est, atque id vnum crimen, & hæc accusationis summa prætenditur; quòd Religiosos, Pontifices Romani certis priuilegiis honestatos, & ab Episcoporum iure exceptos esse voluerint: quódque functionum aliquot extra ordinem iis potestatem fecerint. Atqui si quod inest in eo crimen, beneficij aliquid ab Romana sede capere; totum est eorum, qui dederint; eorum, qui acceperint, nullum. Sed illa, cuiusquemodi sunt, renunciare, iísque sponte cedere, neque sine flagitio possumus; neque cum damno, ac periculo volumus; primùm animarum: quibus nisi hic vtilis visus esset Religiosorum labor, nunquam ad id eos Romani Antistites adhibuissent; nec eorum potestaté tot

edictis, priuilegiísque munissent: deinde sedis ipsius Apostolicæ, cuius auctoritas in contemptum venit reprehensione illius actorum; si aut ista iudicatum erit non potuisse, quibus vellet; aut non debuisse conferre. Nam & ea formula diplomatum ferè omnium est, quibus illa Religiosis beneficia tribuuntur, vti *motu proprio* edita dicantur. Quæ vox hanc habet vim, vt nec eblanditum precibus, nec ambitiosè quæsitum: nec importunitate, quod datur, expressum appareat; sed vltrò delatum, ac certo iudicio, & voluntate concessum. In plerisque verò nominatim caussæ continentur, quibus inducti Romani Pontifices hæc illis danda esse iudicarunt. Quamobrem quæ potest Apostolicæ auctoritati sedis iniici plaga maior, quàm si tot eius consultis ac decretis impunè derogare licet? Nostra verò quàm erit illa vehemens culpa, si hæc ipsa supremæ iura maiestatis, commissa fidei nostræ, & quasi in sinum coniecta, dilabi, ac deperire patimur? Tum enim iusta de priuilegiis istis inimicorum querela videri possit, si vel commisisse nos constet, cur indigni iis habeamur: vel præstitutum ab S. T. finem, ac modum excessisse. Quin igitur tale, si possunt, in nos quippiam proferant; eóque crimine apud S. T. reos faciant? Tantum abest vt hoc iniquo animo laturi simus; vt etiam gratiæ loco simus habituri, & id ipsum emendaturi, quidquid erit, in quo iure illos offensos esse S. T. decreuerit. Quandiu quidem nullum ab iis facinus nostrum, ac nulla publica, pri-

uatáque fraus, sed vnum priuilegij, & immunitatis nomen obiicitur: fortiter illorum petitioni resistimus; nec de ea statione, in qua nos collocasti, iniussu tuo decedimus. Hanc nos iudicij totius, actionísque formulam, quæ vna iustissima videtur, eo magis hoc tempore præscribimus, quòd quidam ex episcopis nostratibus dicitur ad S. T. litteras dedisse, quibus id ait laborare se, vt quod ius, atque æquum est, obtineat.

Cui tam iusta, & honesta postulanti non modò nihil contradicimus, sed etiam vltro fauemus; & idipsum, ne iure vinci nos putet, ab S. T. enixè petimus, vti de hac omni caussa priùs accuratissimè cognóscat; & quid pro se quisque iuris habeat, intelligat: tum suis ponderibus æstimatâ re, quasi sub summi, ac verendi iudicis oculis, cuius in terris vices gerit, sententiam ferat.

Hoc si impetramus modò, quod in præsens vnum agimus, taciti cetera feremus, vel alteri potiùs tempori reseruabimus, quæ hîc ab nonnullis indigna quotidie patimur: nec de assiduis vnius præsertim hominis iniuriis expostulabimus, qui vetere in Religiosos omnes instinctus odio, aduersus vniuersum illorum ordinem stili sui impetum, aciémque conuertit. Neque hactenus, vt eorum, si qua sunt, cuiusmodi profectò nonnulla sunt, vitia reprehenderet: quod quidam etiam catholici, vt minùs consideratè, cùm id neque priuatim fit, neque necessariò; ita tolerabiliter faciunt: sed vt illo-

rum vitæ ſtatum, ac profeſſionem in crimen adduceret: Religioſos inquam generatim omnes, propter paucorum odium, nullo ſuo præcipuo dedecore, ſed ſolo vitæ inſtituto notatos probris, & conuiciis, aculeatis dictis & facetiis ad populorum contemptum & ludibrium vocauit. quo ſuo facto hæreticos, qui hîc ſunt, adeo delectat vt in horum conuenticulis, hominis iſtius aduerſus Catholicos & Religioſos ſcripta incredibili clamore ac plauſu recitentur. Quæ iam magna ex parte ſcire te arbitramur, ac Nunciorum tuorum litteris certiorem eſſe redditum: ac tum libros etiam ad te miſſos eſſe; tum grauiſſimorum integerrimorúmque partim præſulum, partim doctorum de illis iudicia, ex A. D. IX Feb. an. 1634. Ex quibus omnibus intelliges non magis ab homine illo contra nos, quàm contra Catholicas partes implacabile odium eſſe ſuſceptum. Quòd niſi Chriſtianiſſimi Regis diuina mens ac prudentia vigilaſſet; etſi non plura & atrociora, quàm nihilominus facit; minùs tamen diſſimulanter occultéque ſcriberet: tum armati impunitate & auctoritate publica, hoc eſt diplomate Regio libri, palam vi ad nocendum maiore volitarent; quod nunc quidem vtcunque fieri deſiit, poſtquam & rei per ſe indignitate motus, & noſtris adductus precibus benigniſſimus princeps effrenatos hominis impetus, paululum conſilij ſui auctoritate repreſſit. Quod eatenus egerunt, vt hoc vnum ſtatuerent, nullos niſi à Theologis recognitos publicéque probatos libros excudi liçe-

te: ac qui secus Typographus fecisset ei multam irrogarent. De hoc verò quem significamus Episcopo, ac de lite illa quæ ceteris nobiscum est orta, rem integram S. T. iudicio reseruarunt. Quo maiore animo sumus ac fiducia, B. P. eóque nos ipso fortunatos ducimus, quod eum nobis quem optabamus litis arbitrum diuina pariter & humana suffragia dederunt. Ergo illud postremum rogamus, quod exoratum iri facilè credimus, ne nos S. T. pendêre diutiùs in hac caussa velit. Sed quod ex æquo bonóque esse videbitur, nihilo tardiùs, ac tantæ rei periculum hortatur prò potestate constituat: vt ex aduersariorum importunitate, velut longa iactatione recreati, in sinu Apostolicæ Sedis acquiescamus, tanquam portu quodam tranquillitatis ac pacis; vbi metu omni curáque perfuncti, ardentiores nos ad ea quæ nunquam intermisimus, Christianæ rei augendæ studia, & obsequia in Romanam Ecclesiam, & pro incolumitate S. T. ac salute vota, referamus. Vale.

EPISTOLA IV.

Francisco Cardinali Barberino.

IVLIANVM nostrum tam abs te vehementer expeti (EMIN. CARD.) quàm mihi ex tuis litteris ostendit Emin, Card. Ba-

gnius, dupliciter gauisus sum. Nam & tanto Principi curæ esse qualemcumque lucubrationem nostram, per se iucundissimum fuit: & habet ea res non obscuram significationem amoris in litteras, earúmque cultores tui; quales esse nos, si non facultas earum, & eruditio; at ætas ipsa probat, quam in illarum studio pæne vniuersam transmisimus.

Quamobrem vt de priore illo, mea quod interest priuatim gratulari debeo, quòd nisi idem, quem cùm hîc esses mihi es testatus, tuus in me maneret animus, mea tam amanter non requireres: ita de altero nec habendæ tibi gratiæ; neque gaudendi, ac bene in posterum sperandi præcipuæ meæ sunt partes, sed doctorum omnium, doctrinarúmque potiùs ipsarum, quæ à plerisque istius ordinis destitutæ, idoneum iam te sibi patronum destinant, cuius præsidio ac tutela solitudinem suam orbitatémque defendant. Quod tu quidem (EMIN. CARD.) à patruo tuo S.D.N. velut propinquitatis iure proprium habes ac domesticum decus: qui quantus sit, non solùm summis illis, & præstantissimis in studiis, sed in politis etiam & communibus istis, poëtica illa scripta declarant omni leporis & elegantiæ flore depicta, quibus principatum antè Musarum, quàm Christiani orbis, communi suffragio est adeptus.

Huius dum tu exempla, & vestigia persequerís, facis quod te facere cupimus omnes, & vt perpetuò velis, hortamur: vt autem quàm

diutiſſimè, feliciſſiméque poſſis, maximis à Deo precibus optamus. Hæc mihi benignitas & humanitas tua (Emin. Card.) fiduciam dedit, vt non ſolùm, quem flagitaras, Iulianum ad te noſtrum mittere; ſed & ſcribere inſuper auderem, peteréque vt me meáque in Emin. tuæ clientelam recipias. Adieci porrò Iuliano comitem lucubratiunculam alteram; epinicium carmen, quod anno ineunte ſuperiore, in Rupellam, ac Chriſt. Regis triumphum Græcè, Latinéque cecini. quod vt per ſeſe recens adhuc offerre tibi ſum veritus: ſic alterius modo deſiderati abs te muneris haud ingratam hanc acceſſionem fore decreui. Tu hanc audaciam noſtram, conceptámque de te ſpem, ratam ſolita tua humanitate facias velim; atque hoc munuſculo velut oppigneratam in perpetuum obſeruántiam meam ac deuotionem tibi eſſe confidas. Vale.

EPISTOLA V.

Franciſco Cardinali Barberino.

VT qui Solem intueri cupiunt (CARDIN. EMIN.) cùm in eum oculos intendere propter imbecillitatem nequeant, ſpeciem illius in aqua, vel in nube contemplari ſolent: ſic cùm Romanus adeundus mihi Pontifex eſſet, neque tantæ ſplendorem maieſtatis ſuſtinerem, ad te viuam, & expreſſam non tam generis

propinquitate, quàm indole, ingenio, ac virtute, illius imaginem respexi. In quo si vel parum pudenter egisse, vel importunum esse me quispiam putet (Possunt enim id alij de meo facto iudicare, quod pro tua singulari bonitate minimè abs te vereor) non illud ipsum temeritati vlli meæ, sed tuæ benignitati, ac facilitati tribuere debebit. Quam cùm incredibilem in te iamdudum homines prædicent, præsertim studiis doctrinæ dediti: ego verò maiorem opinione fuerim expertus; primùm hac in vrbe coràm, cùm te salutandi, ac colloquendi gratia conuenissem: tum absens posteà: cùm tibi litteris meis, ac litterariis munusculis semel, & iterùm obstrepere sum ausus: putaui ne nunc quidem improbè facturum me esse; si ad eandem mihi tam perspectam humanitatem confugerem, atque hoc impetrare studerem, vt qui in Sanctissimi D. N. patrui tui nomine diuulgatus liber ad Vrbem mittitur, hunc offerre per te ipse velles, ac fauore tuo, & patrocinio commendatiorem reddere: Quod eo maiore de tua voluntate spe facio; quòd illius, cui inscriptus est, iussu & hortatu in lucem prodiit. Qui cùm à me, vt Latinos anteà; ita Græcos versus exegisset, & ego quos in promptu habebam, eo genere confectos Psalmos aliquot misissem, non gratum habuit modò, quod dederam; sed ad eius id quod reliquum erat absoluendum, auctor & incitator fuit. Inter hæc incidit ægritudo illa; quæ non minùs Christianos omnes hoc di-

gnos nomine, quàm vos illius propinquos, mœstos, ac solicitos habuit: qui id intelligerent, in vno capite, præsertim temporibus istis, periclitari communem Ecclesiæ tranquillitatem, ac salutem. Ea me res suspensum aliquandiu tenuit, & cunctari coëgit; ne intempestiuam tanto in luctu Musicam ostenderem. Sed postquam discusso hoc periculo, lætior nos de illius salute rumor afflauit; tum ita sum animo concitatus, vti mora mihi omnis, quo minùs inceptum perficerem, grauis ac molesta videretur.

Affuit tandem optatis meis diuina bonitas, vt quanta poteram industria elaboratum hoc opus ad exitum perducerem. Quod etsi per sese leuius est, quàm vt sub tantæ maiestatis nomine apparere, & in eius conspectum venire debeat, tamen non dubito, quin illud libenter sit acceptyrus: vel quia delectatur iis studiis, ex quibus profectum illud est; vel quia impulsore hortatoréque ipso prodiit: vel quia gratia, commendatióque tua multum ei pretij ac dignationis adiunget. Peto igitur: vt ex duobus quæ misi, illius exemplaribus, alterum SS. D. N. à me offeras, tibi alterum habeas; & hanc meam siue audaciam, siue fiduciam, bonam in partem accipias. Ego verò Deum vicissim precor, vt quam patruo tuo Summo Pontifici sospitatem; tibi communem cum bonis omnibus lætitiam indulsit: eam quàm maximè constantem, ac diuturnam esse velit. Vale.

EPISTOLA VI.

Francisco Cardinali Barberino.

MAXIMVM è nostris litteris fructum reportasse videor iudicij vestri (CARD. EMIN.) quod de me ambo fecistis, tu, & patruus tuus S. D. N. qui Græca, Latináque mea carmina tam impensè probastis, mihi vt in ipso Parnassi culmine præstantes inter poëtas locum daretis. Ego verò graue mihi ex hoc, onus impositum esse sentio, tuendæ vestræ de me existimationis; ne quàm procliue fuit vestra in me concitare studia: tam non sit ea deinceps retinere, iísque respondere facile. Quamobrem omnis à me adhibenda diligentia est, ac nouo ingenij, industriæque prouentu in dies elaborandum, vt vos nunquam amoris in me tanti, ac voluntatis pœniteat. Quod à me quidem pro virili parte perpetuò deinceps curabitur. Et nunc illius vtcumque remunerandæ in me bonitatis; grati certè animi significandi gratia, specimen offero recens, Græcum itidem, Latinúmque carmen; quod in S. Virginis Genouefæ, patronæ veteris commendationem edidi. Cui quantus hac in vrbe honos habeatur: cùm hîc legatione fungerêre, coràm videre potuisti. Priuatim verò quantum illi debeam, tum mihi ipse sum conscius; tum id publicè sum testatus ante annos circiter viginti; partim eodem, ac modò, versuum genere; partim

nouo edito illius Officio; quod Romæ est in scrinio Congregationis sacrorum Rituum. Nunc vt meum hoc munusculum, quod ad prospera anni ineuntis auspicia sub S.D. N. nomine apparêre volui, ei gratum, acceptúmque sit, tua mihi beneuolentia, & humanitate est opus; quam superiore anno simili in re sum expertus. Peto igitur vt hoc illi carmen à me offerre, commendationéque tua prosequi ne grauêris. Simul illud precor, quod in Ode nuncupatoria posui, Officium vt Ecclesiasticum sanctæ illius Virginis, quod apud sacrorum Rituum Congregationem extare dixi, ratum, ac probatum illius decreto ad nos redire iubeas. Vale.

EPISTOLA VII.

Francisco Cardinali Barberino.

NE quod damnosi patres-familias solent, vt in acquirenda re, quàm in conseruanda diligentiores sint: idem in S. D. N. patrui tui tuáque fouenda gratia & beneuolentia committam, operam à me omnem adhibendam esse duxi (CARD. EMIN.) Itaque quibus illa modis est initio parta; iisdem vt eam retineam amplificémque, si possim, identidem ago, nouis ingenij industriæque offerendis fœtibus. Cuiusmodi paucos ante menses ad te mittendum curaui, libellum quendam differ-

tationum Ecclesiasticarum, in quo tum Episcoporum omnium nomen ac dignitatem : tum Episcoporum Principis S.D.N.decus & auctoritatem propugnaui,contra impudentis cuiusdam non minùs quàm indocti hæretici obtrectationem & calũniam. Quem quia pergratum tibi accepi fuisse : non dubitaui quin è vestigio alterum adiungerem, molliori elaboratum genere ac stilo,& ad oblectandam S. D. N. senectutem, magis accommodato : qui quibus iste liber efflorescit ex artibus, eas & amauit semper, & in iis principem inter ætatis huius eruditos locum est adeptus. Eæ sunt Græcarum litterarum facultas, & poëtica. Nam Salomonis Ecclesiastem elegiacis versibus Græcis redditum eius inscripsi nomini; & ad te,confisus humanitate tuâ misi,vt per te Concionatori nostro aditus ad Sanctitatem illius facilior,& receptus vti peregrino certior pateret. Facies igitur pro solita tua benignitate, & in me præsertim voluntate, vti S. D. N. munusculum illud, quod alioqui non ingratum confidebam fore, sit etiam tantæ commendationis accessione iucundum. Vale.

EPISTOLA VIII.

Francisco Cardinali Barberino.

QVOD postremis litteris meis eram pollicitus eo nunc defungor (CARD. EMIN.) ac

ac Theologicorum dogmatum ad te mitto priores Tomos tres : quod opus fauotis, ac gratiæ tuæ fiducia, hortatúque fretus in lucem edidi. cùm me tu quidem tempora verentem iniqua melioribus ſtudiis, ac propterea cunctātem auctoritate confirmaſti tua, bonóque eſſe animo iuſſiſti. Quam ſingularem, mihíque perſpectam fidem tuam appellare iam poſſe videor, & ad tuam clientelam, ac patrocinium me meáque ſtudia conferre. Quod eo diligentiùs, ac ſpe maiore facio, quòd cùm hæreſes propemodum omnes, quæ hoc tempore infeſtam habent Eccleſiam, illo in opere ſim inſectatus, offendi non paucos, acres homines, & ad ſcribendum impigros; qui iam aliquid meditari contra me dicuntur. * * * * * *

EPISTOLA IX.

Franciſco Cardinali Barberino.

LÆTVM & incolumem iſtic agere te, vbicumque es, incredibiliter gaudeo, & vt deinceps in eo pergas, quibus poſſum à Deo precibus contendo. Quod autem ne in iſta quidem peregrinatione, litterarum curam, ac litteratorum patrocinium intermittis: facis quæ & te digna ſunt, & ei animo ac propoſito conſentanea, quod iampridem ſuſcepiſti, tuendi amplificandíque res honeſtas & præclaras, ac præſertim doctrinarum ſtudia, quibus im-

pensè iccirco faues, ac delectaris, quòd apprimè iis excultus, & eruditus, eas quasi peculiares ac domesticas habes. Nam quòd mei quoque rationem ducere te hoc ipso nominè profiteris, vellem idem in re esset quod in iudicio, & existimatione de me est tua. Sed nec molestè fero falli te hoc in genere, vt quoquo modo tanti mihi viri amorem ac beneuolentiam adiungam; & quod facultati deest, obsequendi studio, & voluntate alacriùs suppleam. Quod vt facere in re hac incipiam, de qúa ad me scripsisti, enitar quantum in me erit, si quid tamen in eo præstare possum. De quo quid in præsens habeam, exponam tibi breuiter.

Mihi cum Hugone Grotio (vellem τῷ μακαρίτῃ dicere possem) vsus aliquis intercessit communione partus istarum artium; & quòd, vt bene nosti, spes interim illius iuuandi nonnulla in me sita videbatur. Cum illo itaque, vti sæpe ipsum inuisebam, & vicissim ille me, frequentes de litteris sermones habui. Ac memini me de illo frequenter audisse, cùm diceret; consilium sibi esse Suecicos Annales conscribere: ídque se iamdiu commentari. Vtrùm verò Opus illud absoluerit, an in Aduersariis tantùm apparatus illius extet, certi nihil habeo. Eliciam tamen & expiscabor si quid potero; postquam eius vxor, quæ nunc Lutetiæ habitat, & rusticandi causa vnum iam mensem abest, ad vrbem reuerterit. De lucubrationibus reliquis, quarum mentionem facit Hol-

ſteinius, nunc primùm audire cœpi, nec ille quidquam mihi ſignificauit. Quare & iſta poſt feminæ reditum curanda nobis erunt: dedíque iam negotium tui obſeruantiſſimo Cramoſio, vt exploret quonam hîc tempore futura ſit, & pro virili parte ſi quid poteſt odoretur. Hoc velim perſuaſum habeas, nihil mihi gratius ac iocundius accidere poſſe, quàm aliquâ re ſtudio tuo & voluntati morem gerere.

Qua èx precatione ſcribendæ huius epiſtolæ initium feci, in eandem deſinam, ac Deum enixè rogabo, vt te perpetuò ſaluum aç beatum velit. Vale.

EPISTOLA X.

Franciſco Cardinali Barberino.

ETSI te peregrinantem in Gallia, & hac vrbe, nuper libentiſſimè videbam: quòd humanitate tua, ac ſuauiſſima conſuetudine propiùs vti licebat; multo tamen lætor magis ibi vbi maximè vis, Romæ te eſſe, ac tuis rationibus poſteriorem animi fructum habeo, quem ex vſu colloquióque tuo capere ſolebam. Sic enim interpretor te ad illam velut arcem tum Eccleſiæ, tum doctrinæ reuocatum, maiori vtrique quàm alibi vſpiam præſidio, & emolumento fore; quod & maior domi, quàm peregrè, copia præſto tibi ad com-

modandum eſt affutura: & ex arduo, eminentíque loco circumiectis in omnes partes oculis, quod vſui ſit poteris meliùs proſpicere. Non enim dubito, quin eodem ſemper in honeſtarum rerum ſtudia, & eorum cultores, animo ſis, quo fuiſti hactenus, & quo fore te perpetuò in omni, qui tibi mecum fuit, ſermone præ te tuliſti. Quo magis, reſtitutum te eſſe patriæ, ac librariæ tuæ ſupellectili gratulor iterum, ac gaudeo: eámque meam tum lætitiam, tum futuri ſpem non mediocriter confirmauit, curæ illius, & humanitatis ſpecimen, tu quod in me breui poſtquam iſtuc reuerſus es ſpatio temporis edidiſti. Accepi enim primùm Iuliani epiſtolam illam ἀνέκδοτον, quam ad me iuſſu tuo miſit Lucas Holſtenius. tum Syneſij varias lectiones: & vtroque nomine ingentes tibi gratias ago. Ego verò, vti viciſſim tibi cœpti mei ratio conſtet, quod ipſum curæ vt ſit tibi ſumma tua benignitas & prolixa in me voluntas facit: libros hoc anno duos in lucem emiſi; alterum Apologeticum aduerſus Fromondum Louanienſem Theologum; alterum de lege & gratia: quos te accepiſſe iam arbitror. Certè vt quamprimum ad te mitterentur, Sebaſtiano Cramoſio diligenter mandaueram.

Nunc quartus Dogmatum Theologicorum Tomus eſt ſub prælo, eiúſque folia iam excuſa ſunt octodecim: ac ne iuſto voluminis moles grandior ſit, fortaſſis in partes duas diuidendus erit. De Epiphanio quoque recogno-

ſcendi ab noſtris Bibliopolis iniecta mihi cogitatio eſt, quòd nulla penes illos exempla reliqua ſint. Vellem cum Vaticanis MSS. conferendi mihi facultas eſſet.

De Maximi Operibus quòd plurimum ſtudes, vt idoneus exiſtat aliquis qui Latinam illorum interpretationem, ac deinde quod conſequens eſt, editionem ſuſcipiat: meritò quidem id optas. Magni enim intereſt Theologiæ noſtræ, vt eruditiſſimus ille ſcriptor Latinè Græcéque loquens edatur in lucem.

Deum rogo vt te in omnes amplificandæ rei Catholicæ ac litterariæ rationes incumbentem perpetua ſua gratia & prouidentia dignetur. Vale.



EPISTOLA XI.

Andreæ Schotto, Societatis Iesu, Antuerpiam.

DATIS ad te superiore anno litteris, primum hunc oblatum mihi ad familiaritatem tuam aditum esse gratulabar: cùm eodem tempore Iulianum nostrum mitterem; cuius nondum editas aliquot Orationes publicam in lucem extuleram. Sed siue casu aliquo interceptæ illæ litteræ sunt, siue dignæ non fuerunt, ad quas rescriberes, doleo meam in hunc vsque diem expectationem vacuam, atque inanem fuisse. Equidem malo id eorum, in quos inciderint, vel negligentiâ, vel maleuolentiâ, culpâ denique factum arbitrari, quàm secus aliquid de tua in me voluntate statuere: quem ad hominum commendationem atque famam non minùs humanitatis, ac facilitatis audio, quàm doctrinæ, atque scientiæ attulisse. Vtcunque verò contigerit, nouo hoc periculo tentandum mihi esse decreui: cùm se noui itidem muneris, ac libri occasio dedisset. Quem quidem ex hoc Henriceo Gymnasio publicatũ atque emissum: vtroque nomine, quòd & meum est, & ab eo loco profectum, tibi fore iucundissimum duxi. Sed ne gratis hoc qualecunque à nobis acceperis: primùm scito non vnis tibi litteris com-

pensandum esse: tum si qua in re conatus his in litteris nostros adiuuare possis, vel molestum me exactorem, atque assiduum futurum. Atque vt iam nunc gustum aliquem nostræ importunitatis præbeam: velim mihi, si quid ex Ammiani Marcellini, vel Epiphanij de hæresibus, vel Siluarum Statij M. S. in excerptis habeas, ad me vicissim transmittas. Nam de Epiphanio iamdudum, Gretseri nostri hortatu, cogitabam. Quod ego sine veterum librorum ope aggredi nullo modo possum. In aliis, quos plerunque lego, peræquè esse multa video, quæ emendatione, & castigatione opus habeant; quam præstare nemo sanus sine eorundem Archetyporum auctoritate debeat. Quamobrem si quid in ea re potes, subleuari à te, ac iuuari magnopere cupio. Quod certè potes, tuis vt me precibus, ac sacris commendatum habeas, hoc verò impensè à te, tuísque flagito. Fixæ Andeg. Id. Dec. MDCXIV.

EPISTOLA XII.

Andreæ Schotto, Societatis Iesu, Antuerpiam.

CVM in eo essem, vti prioribus tuis litteris responderem, quas V Kal. Ian. ad me dederas, nouas ecce me absente Belga quidam mercator attulit; qui ad annuum vrbis huius

mercatum, opinor, venit. Ad vtraſque igitur compendio ſic habeto. N. noſter qua cœpit indole ad pietatem, ac religionem quotidianos progreſſus facit. Ei, vt commodè ſit hac in vrbe, quoad poterimus, ego & Sirmondus operam dabimus. Morellus Typographus domum illi ſuam, ac menſam obtulit: ſed ea lege, vti filioli ſui ſtudiis præſit. Verùm honeſtiore illum aliquanto eſſe loco ſtudemus, quod quidem ipſius merito facimus. Iſidorum tuum Sirmondus accepit; de cuius editione cum eodem Morello diligenter egi, neque is abhorrere viſus eſt. Holſteinius quoque noſter ſuam ad id operam Sirmondo detulit. Venit enim ad nos ante dies circiter octo, cum eóque Hugo Grotius, quem ego iamdudum & mea ſponte, & hortatu tuo conuenire, & alloqui cupiebam. Factum vtriuſque voto ac deſiderio ſatis illo die. Nam perdiu valdéque familiariter vnà fuimus. Homo eſt, quantum iudicare poſſum, probus ac candidus; nec ab Holſteinij exemplo, quod & ſperas, alienus. Nos nihil prætermittemus, quod quidem præſtari à nobis poſſit, vt hominem Chriſto Domino, ac ſaluti conciliemus.

Scripſit ad me nuper ex Hiſpania Petrus Caſtellarnauius Societatis noſtræ Sacerdos, Petri Alexandrini Martyris Opuſculum de Cyclo penes ſe eſſe Græcum, ídque, ſi vellem, ad me eſſe miſſurum, ita enim ſe à te meo nomine rogatum; vt ſi quid in operis illius, quod mo-

lior editionem posset, benignè conferret. Plurimum verò Bartholomæum Morlanezium Cæsaraugustanum apud me commendauit, ad eúmque vti ne grauarer scribere, enixè petiit. Hoc igitur agamus. Opus nostrum de Doctrina Temporum sub prælum propediem exibit. Quo minus iam inchoatum sit, chalcotyporum tarditas fecit, qui æneos typos (nouis enim ad id opus est) lentè nimis excudunt. Vale.

EPISTOLA XIII.

Andreæ Schotto Societatis Iesu, Antuerpiam.

TAM multa mihi eodem tempore curanda sunt, vt pæne tuarum me litterarum obliuio ceperit. Sed earum tandem refricauit memoriam Antuerpiensis ille iuuenis, qui sibi datum negotium à Scholarum vestrarium Præfecto dixit, libellos vt aliquot Græcos emeret, quos mihi recognoscendos, ac probandos attulit. Qui cùm mihi salutem abs te nunciasset vnà, & se propediem hinc abiturum esse dixisset, digna mihi deprecandæ cessationis illius occasio visa est, quam sine meis ad te litteris elabi non sinerem; & vt superiorem tarditatem hac saltem officij mei particulâ compensarem. Lusitanorum patrum aduentus in hanc vrbem, & collegium nostrum, periucundus

nobis omnibus accidit. Mea verò priuatim illis opera necessaria non fuit. Nam in professorum ædibus habitarunt, quandiu istic morati sunt: & apud nos semel tantùm prandio sunt excepti. Lucas Holsteinius sæpe ad Sirmondum venit. Is & animo, & corpore bellè se habet: & est sanè tuo studio, ac beneuolentia dignus. Penes hunc, Athanasij schedæ illæ sunt, de quibus scribis, & in earum, vt opinor, editionem intentus est. Nam Athanasij Opera Græcè ac Latinè superiore iam anno prodierunt. Vidi & Libanij Tomum alterum publicè proscriptum, quem nondum legi. Operis de Doctrina Temporum editio sic nos occupatos habet, vt alia de re ferè nulla hoc tempore cogitemus. Quo mihi vos æquiores oportet esse, si in scribendo tardiùs vestro voto respondeam. Vale.

EPISTOLA XIV.

Andreæ Schotto, Societatis Iesu, Antuerpiam.

EGo verò & Marianæ opuscula legi diligenter, quæ de anno Dominicæ Passionis, déque Arabum annis edidit, neque quicquam in illis admodum inueni, quod non tralatitium sit: in eo verò, quod est de Passione Dominica, etiam falsa multa, & pugnantia reperi. quod pace tanti viri dictum velim. Tibi porro quan-

tas possum gratias ago, qui me, litterásque meas nouis in dies caritatis officiis tibi demereri studes. Vellē aliquid reponere possem tam prolixa in me beneuolentia non indignum. Quod vnum in præsentia possum, Deum precor, vti te mea vice remuneretur. Quæ ad Sirmondum mandaras, exhausi diligenter: ille iam se plenè de omnibus ad te scripsisse dixit; putaréque litteras ad vos suas peruenisse. Itaque nihil hîc ea de re significari opus est. Holsteinium, & Grotium dudum non vidi. Opus nostrum de temporum doctrina suum cursum tenet. Quartus iam sub prælo liber est. Scripseram abhinc mensibus aliquot ad Castellarnauium, qui ad me Cæsaraugustâ litteras dederat, vnáque & ad Morlanezium: ac Græcum Andreæ Cretensis Computum, quod erat ille pollicitus, hortabar vt mitteret. Nihil ad hanc diem responsi illinc habui. S. Maximi Græcum Computum penes me habeo, quod Romæ exscribendum curaui. Sed tam multæ, tam amplæ in eo Tabulæ, circulíque sunt, vt vix typis exprimi posse vniuersa confidam. Vale.

EPISTOLA XV.

Andreæ Schotto Societatis Iesu, Antuerpiam.

TRIDVVM vix intercesserat postquàm ego ad te scripseram, cùm domi nostræ Lu-

cam nostrum Holsteinium offendi: quem & meo & tuo nomine complexus, quas ad me nouissimè dederas ostendi, & iis vti cùm reipsa tum litteris ad te suis satisfaceret, & has ipsas ad me mitteret hortatus sum. Cùm in se vtrumque recepisset, neutrum hactenus quod sciam, præstitit. Nunc Romam, vt audio profecturus est cum Cardinali Spadano olim hac in vrbe Rom. Pont. Apocrisiario, cuius in familiam, comitatúmque ab Antissiodorensis episcopi conuictu, contuberniòque transiit. Quod illi bene vertat. Nam iuueni & erudito, & humanissimò fauemus. Spes est illum in aliquam curationis Vaticanæ Bibliothecæ partem venire posse. Id si euenerit, non minùs tibi quàm nobis iucundum erit, ac commodum. Operis nostri de Doctrina temporum editionem tandem superiori mense ad exitum perduximus. Huius exemplar vnum mitto, quod tibi & Heriberto Rosuueydo commune esse cupio. M. DC. XXVIII

EPISTOLA XVI.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

THOMAM Kempisium popularem vestrum; ac solidæ pietatis magistrum & accepi libens, & quod illustrissimo viro Ma-

rillaco offerendum illius exemplum dedisti, curaui vt ad eum in comitatum perferretur: quò tum Sebastianus Cramosius Typographus noster aut ipse proficisci, aut certum hominem allegare statuerat.

Quòd si in Vrbe ille tunc fuisset: tametsi pro amplissima quam sustinet dignitate, multis grauissimísque negotiis occupatus est, ad eum nihilominus adiissem, corámque munus illud commendassem. Id si erit postea commodum, fortasse faciam. Vendelinianum Opusculum, cuius specimen ad me misisti, non tam doctrinæ temporum refert, quàm astronomicæ illius meræ, quæ minima quæque momenta subtiliter accuratéque persequitur. Nam cuiusquemodi sit Solis ab Æquatore λόξωσις ac declinatio; tanta esse non potest, vt αἰσθητὸν discrimen faciat: quod ego ipse in condendis Tabulis sum expertus. Nouas enim Operi nostro de Doctrina temporum intexui, quas Parisinas inscripsi. in quibus certa à nobis Solarium motuum, & epilogismorum inita ratio est longè simplicissima, & quod caput est, omnium quæ prodierunt hactenus, exactissima. Quorum omnium fidem innumeris exemplis muniuimus. Nam inter alia, Solis ac Lunæ defectiones propemodum omnes, quæ quidem ab antiquis, & idoneis auctoribus memorię proditæ sunt, ex abaco nostro scrupulosè delineauimus: in quo diligẽtia cum difficultate certat. vt prę hoc vno, Scaligeri conatus omnis, pæne ludus fuerit. Nunc Chronologia, quam & typographi, & a-

micorum preces expresserunt vt in calcem operis cōferrem, moram affert editioni nostræ. Arnobij MS. codex, id quod de Rigaltio persæpe cognoui, ab Vrbe transferri non potest. Verùm ille variantes se lectiones, & quicquid scitu dignum erit, adnotaturum recipit. Quam in rem operam & ipse meam tibi polliceor: si quibus de locis consulendum priùs ad me perscribas. Sirmondo, & Machaldo salutem abs te dixi, qui vicissim ambo resalutant: hic etiam litteras dedit. Vale.

EPISTOLA XVII.

Heriberto Rosuueydo Societatis Jesu, Antuerpiam.

VELLEM quod à me tam assiduè támque studiosè flagitas, ratione aliqua perficere possem, vt Arnobij codicem ipsum è regia Bibliotheca mitterem. Sed neque per eius curatores id licet: neque consilij, præsertim hoc tempore videtur, tantillis de rebus principibus viris obstrepere, ne aut isti minùs se quàm velint, posse in hac re conficienda sentiant: eòque subirati esse nobis incipiant: aut illi vel tentatum à nobis istud inuitis se ac repugnantibus ægrè ferant, & alieniore deinde sint à nobis animo: nos ab vtrisque nihil præter offensionem, & inuidiam colliga-

mus. De Vendelini opusculo habeo gratiam. Allatus est ad me sub idem tempus Errici Puteani Louaniensis professoris libellus de Olympiadibus. Quis eum miserit ignoro: in eo verò noua iis de ludis coniectura disputatur; sed inanis & ludicra; cui refutandæ paginas aliquot, Operis in fine, seposuimus. Hoc verò iam ad exitum propè peruenit. reliquum est enim præter Indicem nihil, cui ad summum octo dies imputamus. Ita biennium solidum totidem excudendis tomis impensum erit; ac longissimi & molestissimi laboris fructus existet. Sirmondus tibi salutem dicit, & grande satis volumen, sed idiomate scriptum nostro, Bibliothecæ vestræ destinat, è duobus alterum quæ partim à Typographo, partim ab auctore nobis oblata sunt. Argumentum operis est de familia Vergicensi, quæ in Sequanis hodie principem locum tenet. Id si erit opportunum, negotiatori illi dabimus: cui ad hasce litteras accipiendas in perendinum condixi. Sin nullus inter illius sarcinas locus est, Sebastiano Cramosio commendabitur. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

CVM ad te & Andream Schottum litteras paulo antè dedissem: nouas ecce mihi abs

te popularis quidam vester attulit, cum Kempisij libello, quem recentibus, & elegantibus typis nuper edidisti: cuiusmodi & alios hîc compingendos, ad vósque mittendos Typographus noster accepit. Ego verò cùm de tuo constanti erga me studio, ac voluntate, plurimum gaudeo; tum de munusculo isto gratiam non habeo modò: verùm etiam refero. Mitto enim operis de Doctrina temporum nostri Tomos duos, quos tandem superiori mense feliciter absoluimus, & Illustrissimo Cardinali Ricolocio dicauimus. Cui cùm illos offerremus, peramanter ac benignè nos habuit; sibíque id esse gratissimum officij genus ostendit. Quod sit operis illius institutum; quódve doctrinæ genus, ac scientiæ polliceatur; cùm ipsum per sese loquetur, tum in Prolegomenis vtriusque partis, sed prioris maximè declarauimus. quorum acrem diligentémque comprehensionem lectioni librorum nostrorum anteuerti cupimus. Scaligerianum de Emendatione Temp. opus Geneuæ Allobrogum tertiò iam recudi certissimè cognoui. quod mihi optatissimum accidit. Nam eo vendibiliores erunt nostri, quo huius, quem contra scribimus, parabiliores erunt libri; qui hoc tempore inuentu rarissimi sunt. Tametsi vt eorum interim desiderium tolerabilius esset, opere in nostro perfecimus, in quo singulis pæne capitibus Scaligerianæ doctrinæ summam breuiùs, & quàm ab ipso factum est planiùs, ac dilucidiùs explicamus. Scripsimus & aduersus Chronolo-

gi-

gicas quorumdam Dissertationes, sed eorum ferè tacitis nominibus, idque vel sparsim toto in Opere, vel separatim in calce libri XII, à pag. 486. & in Paralipom. pag. 850, vbi capitibus aliquot falsam absurdámque popularis cuiusdam vestri coniecturam refellimus. de quo superioribus litteris ad te scripseram. Id quam ille in partem accepturus sit nescio: existimationis quidem ipsius, vt & Catholicorum ceterorum, contra quos necessariò disputamus, sic à nobis habita ratio est, vt veritatis ac fidei aliquanto plus haberetur. De hoc, vt de reliquis quæ eodem pertinebunt, certiores nos facies. M. Antonij Cappelli Dissertationem de anno natali, & Passionis Christi, ante biennium hinc ad vos misimus. Huius in doctrinam capitibus aliquot inquisiuimus. Hæc eo scilicet designaui, ad eáque digitum intendo, vt te ad eorum lectionem impellerem. Vale.

EPISTOLA XIX.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

OLIM ad vos libros illos peruenisse puto, quos tibi curaueram: tum ex Sirmondi litteris certiorem te iis de rebus esse factum, de quibus ad me postremis tuis scripseras. quas cùm

Sirmondo legendas dedissem, is se cumulatè omnibus perfunctum esse proximè datis ad vos litteris dixit. Quare nihil hîc attinet eadem iteratò perscribere. Ad illos porro quinque libellos, quos nouissimè postulasti, sextum addi volui, qui est M. Antonij Cappelli Franciscani de cœna Christi suprema, contra Vecchiettum Italum quendam, qui se Ægyptium ab Ægyptiaca legatione, sic quasi Africanum, aut Asiaticum appellauit. Is Augustæ Vindelicorum habitat: ibíque vegrandem Chronologiam edidit: vbi multa nouè, absurdéque docuit; quæ Romani Censoris animaduersione notata sunt, & à Cappello confutata, breui libello, quem ad te mittendum curaui. Ego verò & immane illud opus Vecchietti, & hunc alterum Cappelli non legi modò, sed etiam diligenter excussi: & quod meum de vtroque, sed de isto potissimum, iudicium esset, tibi aliàs exponam, tum cùm scilicet alterutrum legeris.

Opus de Doctrina temporum in dies procedit. Vix est tamen vt infra vertentem ab hinc annum possit absolui. Hæc me cura modò reuocat, & vltrà producere hanc epistolam vetat. Vale.



EPISTOLA XX.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

BINAS à te litteras accepi: priores, v Cal. Iunias; posteriores, vi Eid. Iul. datas. quanquam istæ non tam epistolæ, quàm memorialis libelli speciem habebant. Eas mihi veredarius Antuerpiensis vir honestus, ac probus obtulit; vnáque florenos centum numerauit, quos tibi ad librorum emptionem seponi, asseruaríque iussit. Dabo equidem operam, vt in hac re neque fides nostra, neque diligentia requiratur. Sed duo mihi significari clariùs velim: alterum, ecquid veredario, siue cursus publici magistro commendandi libri illi sint, quos deinceps curabimus; vereor enim ne maioris id impendij futurum sit: an parabilior, & damnosa minùs opportunitas identidem quærenda. Alterum, de genere librorum. Nimis enim est infinitum, quod mihi præscripsisti, vti in eos libros insumerem, qui studiorum tuorum intersint. Ac de M. Antonij Cappelli Opusculo statim Cramosium nostrum admonui. Spero me illud veredario vestro datum: sin minùs, certè propediem mittetur. De altero, qui est de Viis militaribus Romanorum, ex eodem nostro Typographo quæ-

ram; cui in hodiernum condixi. Notitiam episcopatuum Galliæ à Roberto editam puto iam te habere. Salmasij in Solinum, siue potiùs in Plinium, immanis & odiosus commentarius in dies expectatur. Simul atque prodierit, rectà ad vos illicò. Iulianum Augustum prælo subiecimus. Iam plagulæ duæ vel tres expressæ sunt. Menses aliquot hic nobis labor extundet. Libri nostri de Doctrina temporum passim hîc leguntur. Et apparet quosdam valde esse commotos: quorum pæne quotidianas in nos coïtiones feruêre didicimus. Tum ab Germania, vel vicinis vestris, hoc est è nidulo quondam ἀνταγωνιστοῦ nostri, nescio quid minarum. Contra hæc animum obfirmabimus.

De Vendelino, si is tibi familiaris est, quædam τεχνικὰ de Solis, Lunæque diametris sciscitari peruelim. sed non est satis otij modò. Sirmondus noster tibi, vt & Andreæ Schotto salutem dicit: quam & ipsi meo quoque nomine impertias velim, méque in sacrificiis & precibus commendatum habeas. Lutetiæ Parisiorum XIII Cal. Aug. MDCXXVII.

EPISTOLA XXI.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

COMMODVM asceticam hebdomadem inibam, cùm ad nos postremæ tuæ litteræ

peruenerunt. Itaque seriùs datæ mihi sunt; neque tabellarium vidi. Quod autem Cappelli Diatribam nondum miserim, fecit magnitudo pretij. Libellus est trium & viginti foliorum à Claudio Morello τῷ μακαρείτῃ editus. Huius vidua tam cari illum æstimat, non minoris vt florenis tribus emere liceat. Quæ res & mihi, & Cramosio nostro meritò stomachum mouet: mihi verò præsertim; qui, quanti liber ille sit, meliùs intelligo. Est enim imperitiæ, insciriæque plenissimus. Quare tanti non est, vt in eum sumptus iste faciendus sit. Sed si tu nihilominus vel iniqua illa conditione curari tibi velis; dabo operam vt propediem accipias. ac fortasse ne mandatum quidem tuum expectabo: sed Cramosio negotium hoc ipso die committam. De Cappello pleniùs habes in vtroque Tomo de Doctrina Temporum. Penes Sirmondum nostrum Theodoreti scripta sunt; à μακαρείτῃ Frontone nostro prælo destinata; vt & Cyrilli; & Nicephori historia. quæ suo tempore in lucem exibunt. De Ioanne Eleemosynario quæ scripsi, vera puto. Nam à nobis est annorum ratio, quam ad Nicephori Breuiarium ante annos XIV, & in Tomo 2 de Doct. Temp. disputamus. Quæ tu ad Vitas Patrum super hac quæstione scripsisti, nondum legi: neque verò otium adhuc est. Nam ad iter accingor, quod in mensem vnum Rothomagum, & in alia quædam oppida vestro citeriora suscepi. Vbi domum rediero; tum & hoc tibi, & cetera mandata curabimus. Vale.

EPISTOLA XXII.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

LONGINQVA demum ex profectione salui & incolumes domum reuertimus. Hoc eo scire tuâ interfuit, vt si quid curatum istîc de more velles, ad nos scriberes. De Cappelli Diatriba olim quid velis expecto. Nam iniquum illius pretium à Typographo exigi vel Cramosius noster existimabat. cui tamen vt quoquo ære partum ad te mitteret, discedens mandaueram. Sed ab eo neglectam rem video. quâ integrâ, rursus quid tibi placeat inquiro. Absoluta nuper est Eusebianæ προπαρασκευῆς, & ἀποδείξεως, editio Græcolatina. Huius interpres est antiquus, ac seorsim iam editus. προπαρασκευὴν verò Franciscus Vigerus Rhetoricam hoc in Gymnasio iamdudum professus, de non optima Græca Latinam fecit elegantem. Vtrumque, si permiseris, opus pecuniâ illâ, quam penes me habeo, comparabitur; solutum autem, an compactum malis, id etiam præscribes. Litteras à Cathio nostro, Ruremundensi Rectore, absente me huc perlatas reperi. Scribo igitur ad illum; & vt nostras Ruremundam curare velis, id abs te postulo. Salutatus à Sirmondo, vicissim vt Schottum, Ven-

delinum, & Gueuartium meo nomine compelles etiam atque etiam rogo. Lutetiæ Parisiorum prid. Eid. Oct. MDCXXVII.

EPISTOLA XXIII.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

QVOD prioribus tuis litteris responsi nihil reddiderim, non vel officij negligentiâ, vel obliuione meâ factum: sed negotiatoris illius, qui litteras ad nos tuas pertulit, singulari quadam incogitantiâ dicam, an incuriâ. qui cùm me absente domum illas attulisset, neque visus est vsquam, & insciis omnibus nobis insalutatísque discessit. Huic igitur vni, non mihi, non Typographis nostris succensere debes. Nam nisi iste nos vana spe ludificasset, olim libros illos, quos mitti tibi postulaueras, peruehendos curassem. Iam enim paratos illos habemus, quos quidem nancisci hac in vrbe potuimus. Sunt autem hi Bibliothecæ PP. Græcorum Tomi duo, quos tuo nomine à Typographis expressimus. tum alter * * * Ceteri porro, quos & prioribus in litteris, & in memoriali schedio, quod Antuerpiensis iste iuuenis nobis ostendit, notaras, reperiri non possunt. Quanquam nihil à me diligentiæ prætermissum est. Sed & aliquantò etiam

posteà diligentiùs inquirentur. De iuuene isto, quem dixi, vellem tibi gratificari possem. Sed difficile est hac in vrbe, peregrinum præsertim & ignarum linguæ hominem ad puerulorum institutionem obtrudere. Nihil tamen, quod in me situm erit, omittetur. Vale.

EPISTOLA XXIV.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

INDICVLVM librorum aliquot, quem ad me miseras, Claudio Sonnio, vti mandatum erat, quamprimùm dedi. Cuius rei dum exitum expecto, longior mihi paulo dies abiit. Etsi ne scribi quidem ad te ea de re necesse fuit à nobis: cùm id Typographus noster Sebastianus Cramosius olim, & quidem non semel significasse se dicat, libros illos hîc reperiri minimè posse. Quare velim aliò, quod reliquum est de ratiuncula tua, transferas. Sunt autem triceni circiter floreni residui de centum. Prodiit hîc nuperrimè liber de Officiis Palatinæ domus à Iacobo Gutherio editus: quem puto iam ad vos peruenisse.

De Vitis PP. quas tandem accepimus, habeo gratiam. Spero me propediem Iulianum, & aliud nescio quid missurum, quod in Hispanum quendam IC. meditamur, qui nonnulla

de anno Græco, peculiari Diatribâ vexat, quam barbaries illi & inscitia dictasse videtur. Sed cuiusquemodi est, non sine responsione prætèrire debet: quod & PP. nostri Madritenses mihi persuadent. Ad extremum nostri te in sacrificiis precibúsque memorem valere plurimum cupio.

EPISTOLA XXV.

Heriberto Rosuueydo Societatis Iesu, Antuerpiam.

ACCEPI centenos illos florenos à veredorum magistro; quos cúm prioris summæ reliquo, vti mandaueris, expendam. Nonnihil enim de vetere ratiunculâ superest. Biduum iam hîc Cramosium expecto; quem ad me cum breuiario nominum adesse rogaueram, vti ea dispungerem. Simul admonui, libros vt omnes ex indiculo tuo curaret: quod propediem fore confido. Scripsit ad me honestus ille vir popularis vester, adolescentulíque illius pater, quem nuper ad me misistis, sed Flandricè scripsit; cuius ego linguæ, iuxtà atque ille Gallicæ, sum ignarus. Credo nec ipsum Latinè scire: alioqui hac ad me potiùs lingua scriberet. Quo minùs ad eum scribere necesse habeo.

Ceterum quid de eius filio statutum à nobis esset, postremis meis tibi significaui, non sine

leui facti veſtri caſtigatione, quòd vernaculi noſtri ſermonis rudem omninò, contra interdictum noſtrum, hunc miſeritis. Itaque tantiſper in calligraphi cuiuſdam viri optimi contubernium ſepoſitus eſt, vt Gallicè condiſcat. Annua penſio eſt florenorum ducentorum quadraginta. Dabis operam vti pecunia ſuppetat. Nam ego fidem pro illo meam oppigneraui. Statim atque commodum erit, ad mercatorem perducetur. De Seleniaco exercitatore ἐνθύμει. Non enim perpetuò melius illi fuerit ἐμεῦ ζῶντος, ϗ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο: immo Chriſto Domino, cuius ille ſeruos proteruè pulſat. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Iulij XVIII. MDCXXIX.

EPISTOLA XXVI.

Heriberto Roſuueydo Societatis Ieſu, Antuerpiam.

MVLTVM ad immutandam indolem valent Mediomatrici veſtri. Magnetium ego antehac noueram miti hominem ingenio, ac placido, pacíſque magis quàm belli artibus deditum. At is ſimulatque pedem illîc poſuit, Martium neſcio quid perſtrepere cœpit, ac velut claſſico nos ad arma pugnámque prouocat. Macte noua virtute. Hac ego verò me ad hanc militiam, vt ſatis animatum, & impigrum eſſe puto: ita dandis præceptis,

aut instruendis vobis minimè idoneum iudico. Ac si quantum & me iudicio tuo, ac laudibus extulisti, & te, doctrinámque tuã præter ius fásque summisisti, tantùm in vtroque vice versa contentionis explicem; faciam id quidem haud paulo, quàm tu iustiùs. Sed vereor ne ambitiosè magis eniti, quàm officio certare videar. Itaque genus hoc certaminis omittam, tibíque de tam ardenti, ac diuinitùs incitato in Reip. ac religionis hostes animo gratulabor, cuius explicandi opportunitas ibi vbi es deesse non potest, ac Deum opt. max. precor, vt tanto tuo desiderio, piísque conatibus parem fructum ac prouentum indulgeat. De Temporum Doctrina, quam meis commentariis nuper illustraui haud scio quàm gaudere me; vos amicos meos gratificari mihi oporteat. Nam metuo ne magnum mihi malum dederint. quod & vobis adeo ipsis molestum fore non dubito.

Ac vellem equidem minore, quàm est, approbatione multorum Opus illud esset exceptum. Nunc me vrit ille splendor, & pœnitere litterarum istarum propemodum facit. Mira res, inquies: fateor, & cuiusmodi sit breuiter expono. Peruenisse ad vos famam arbitror Madritensis Academiæ, quam Catholicus rex in vrbe regia nuper instituit, & Societati nostræ commisit. In hac doctrinarum omnium professores collocare statuit, méque ipsum à R. P. N. Generali nominatim expetiit; tanto, vt ipse ad me scribit, ardore, ac studio; vt ad Christianissimum regem ea de re, si ne-

ceſſe ſit, litteras ſe daturum dixerit. Quam illius voluntatem ita mihi R. P. Generalis expoſuit, vt niſi inſuperabilis quædam difficultas eſſet, eò me proficiſci æquum eſſe cenſuerit, ac propemodum imperarit. Sed antè tamen, cauſſæ ſi quid eſſet, quo minùs id poſſem, vt ad ſe ſcriberem iuſſit. Quod cùm nuperrimè fecerim, ſuſpenſus adhuc rei totius expectatione ſum, eróque tamdiu; dum ex meis litteris de me pronunciarit. Hoc & noſtris pleriſque, & tibi præ ceteris doliturum eſſe, pro vetere amicitia noſtra, facilè ſentio. At ego ita ſum animo paratus, vt, poſtquam cauſſas meas omnes ac rationes expoſui, quicquid imperatum erit, fortiter perferam, & in illius poteſtate ſim. Sed hæc eo retuli, vt intelligeres non eſſe, quòd mea mihi Temporum doctrina valdè placeret: quam ego infectam, ineditámque mallem. Verùm

Τούτου μόνου γὰρ καὶ θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Tu hac in re, quia me conſilio non potes, precibus certè ac ſacrificiis ſedulò adiuua. Edideram ante menſes fermè tres, Latinos, Græcóſque verſus de Rupellana expugnatione: qui cũ aliis noſtrorum Latinis, Gallicíſque publicati ſunt. Horum quod vnum habebam reliquum, tibi deſtinaram. Sed R. P. N. Rector interuenit, ac neſcio cui priùs obtulit. Tametſi perueniſſe iam ad vos librum illum arbitror. è quo præter Oden dedicatoriam, priores duo Panegyrici, Græci autem verſus omnes mei ſunt. Hæc mea

ſignificatio inſtar eius erit, quod facere decreueram, vti ſeparatim ad te verſuum meorum libellum mitterem. Nam in eo, quem profectò vos habetis, quæ mea præcipua ſint agnoſces. Vale mi Pater, ac pro me communem Dominum precare. Vale.

EPISTOLA XXVII.

Franciſco Vauaſſori Societatis Ieſu, Alenconi.

ITA multis eodem tempore variorum hominum litteris, ac negotiis obſeſſus eram, pęnéque obrutus; vt ſi hîc adeſſes, corámque cerneres; iuſtam tibi de mea tarditate conquerendi cauſſam non fuiſſe, vel tu ipſe faterêre. Tametſi quorſum expoſtulatio tua ſpectet, non ſatis video. Nam cùm ad me recenſendum illud Dramatis initium miſiſti, id vt meo commodo, ac quàm ſolutiſſimo animo facerem, ſpontè es hortatus. Quare nihil eſſe putaueram, cur tantoperè feſtinarem. Nunc poſterioribus tuis excitatus, intermiſſis omnibus, ad illa tua tractanda, & vt rogabas, caſtiganda me totum contuli. Quàm id porrò diligenter, accuratéque præſtiterim, ex notis illis intelliges, quas ad oram adſcripſi. nec de iis plura.

Quod ea ſpectat de quibus ſciſcitaris; ſic habetó. Iecinoris caput in extis ſumma eſt hepatis

fibra, quæ interdum coctura tabida, & euanida, in religionem, oménque trahebatur. Contrà verò cùm extaret, & insigniter appareret, prosperum rei promittebat exitum.

De sortibus longum est omnia persequi. Hæc percontationi tuæ pauca sufficient. Sortes taleę, siue tesseræ, erant ligneæ, notis aut litteris inscriptæ, quibus ambigua futuris de rebus responsa continebantur. de quibus Ciceronem omnino consule, libro de Diuinat. secundo. Huius ex verbis facilè, quid sit tolli sortes, æquaríque, pótes cognoscere. Scribit enim, cùm perfracto saxo sortes erupissent, haruspicum iussu ex olea arcam esse factam, eâque conditas sortes. Quæ quidem detractæ manu; ait ille, miscentur atque ducuntur. Hîc ego miscere sortes idem arbitror esse quod æquare. Vti cùm tesseræ in fritillo, vel pyrgo, aut manu concutiuntur, ac miscentûr, quò incertior iactus sit, adeóque ludentium æqua sors, & par alea: nec improbi & exercitati veteratores, quos velint bolos iaciant. Denique sortes vniuersè pro oraculis accipiuntur: credo, quòd antiquissima responsorum illa ratio fuerit. Habes ad ea quæ in percontatione tua posuisti. De haruspicinâ porrò & sortibus extant quorumdam commentarij, præsertim Bulengeri, quos si adhibueris, nihil erit quod longinqua responsa solicites. Vale, & pro me communem Dominum precare. VII Cal. Ian. MDCXXVII.

EPISTOLA XXVIII.

Francisco Vauassori Societatis Jesu, Alenconi.

MIRVM te coniectorem Arubij tui, fecerunt (sic enim Alenconios à Ptolemæo nominari quibusdam placet, & eorum oppidum Vagoritum) qui & me, vt illa quondam ἐκ βοστρύχων agnoueris, & otiosiorem esse, quàm dudum ex eo sis interpretatus, quod ad quædam minuta descenderim. Sed si me videas, & quibus vndique litteris circunsessus tenear, vt alia modò operosiora taceam, næ tu de otio aliter censeas. Nunquam me scito, quàm hoc tempore sum, occupatiorem fuisse. Magnam enim litterarum annonam, & quantam hactenus non videram, hic mihi annus attulit. Scribo hæc sub matutini temporis exitum: quod totum in isto genere consumpsi: ac cùm in pomeridianum plurimum supersit, cùm hoc accesserit, quartâ vix pensi mei parte perfunctus ero. Neque tamen propterea minùs tibi libenter in scribendo gratificabimur, si id cordi tantopere tibi est: & legendis quæ ad me miseris, operam dabimus, quod me tibi vadimonium, antequam hinc abires, promittere coëgisti. Sed, heus tu! quosnam mihi, quæso, versus nominas? Nam nullos me scio præter eos vidisse,

quos recenseri à me volueras;ego verò ita vt iusseras, notatos castigatósque misi. Præter hos nihil admodum hûc venit. Aut igitur in via de tabellarij mãtica dilapsi sunt; aut tu nescio quid in bicipiti Parnasso de versibus somniasti. quod à me præstari modò vigilans iubes. Gratulor vel tibi, vel Alençoniis tuis, prorogatam tibi docendi illîc functionem esse. Hominem te quantiuis oportet esse, cuius industria carêre ciuitas illa nequeat. Itaque tantum abest, id vt molestè ferre debeas, vt etiam admonendus sis, ne te plus ea re deinceps ames, nósque contemnas. Nam quod librorum paucitatem accusas, est id quidem non ægrè ferre difficile. Sed, vt in malis, hoc habet commodi, vt sedulitatem & gnauitatem acuat, quam librorum plerumque copia, & varietas obtundit. Vt stomachus, cùm vniusmodi cibo pascitur, in eo totus occupatur, ac faciliùs concoquit: sic animus, quem varia, & multiplex lectio dissipat, in vno genere collectus, totum explicat sese, & ad id quod semel arripuit, firmiùs adhærescit. Ac nos perdiu in iisdem librariis angustiis fuimus, nec antequam Lutetiam veniremus, ex iis emersimus. Quò te maiore esse animo decet, & in eorum, quos habes, lectione ingenium exercere tuum: antiquorum verò maximè; quos, qui initio magna in librorum copia sunt, ferè fastidire solent, dum & varia, & vt plurimùm noua persequuntur. quod capitale studendi genus caue vnquam imitêris. Nulla certior est litterarum pernicies, quàm cùm tale tirocinium

nium instituitur. Meam tibi operam, si qua re necessariam putas, itidem vt antea, nunc quoque polliceri pergo. Sed ita vt ne assiduus sis, ac seuerus exactor: nec statim atque scripseris, sic quasi creditam pecuniam repræsentari iubeas. Vale, ac pro me communem Dominum precare. Lutetiæ Parisiorum III Eid. August. 1628.

EPISTOLA XXIX.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Alenconium.

QVOD de mea vel admiratione, vel etiam stomacho coniicere te scribis, neutrum scito te assecutum: nec minùs infelicem μαίτην fuisse, quàm in triumpho regio nuper; cùm tu tibi, meum quid istic esset, indicari voluisti. Atqui non illepidè ἐκ τῶν βοστρύχων, vt illa fratrem, hoc est, nescio quibus ex calamistris præfationis auctorem à te deprehensum aiebas. Id verè, an secus, nihil dico. Tamen intererat existimationis tuæ, ne hac in re quidem Criticum rudem videri. Sed vt eò reuertar; neque mirari me factum tuum oportuit, quem aliter facturum non esse scirem: neque succensere tibi, qui id vererer potiùs, ne te alieniorem à me mea illa cunctatio redderet. Sed percommodè cecidit, vt qui ἱλαστήρια quædam ad expiandam hanc no-

xam comparare mihi studebam, tibi vltrò placandus, & conciliandus viderer. Id adeo humanitas tua facit: quam non minùs, quàm ingenium amplector tuum, quod se quotidie nouis indiciis effert. Vel oratio illa tua, quantam προσκοπὴν iis in studiis habet. De qua quod sit meum iudicium, accuratiùs, ac per partes, vti rogaras, explicare nihil attinet. Hoc vnum habebis vniuersè: magnam rem facturum esse te, si de ὄγκῳ, & grandiloquentia, quæ sparsim eminet, nonnihil remittas, téque ad Ciceronianum nitorem, & inimitabilem illam simplicitatem accommodare studeas. Vale. Lutetiæ Parisiorum IV Cal. April. 1629.

EPISTOLA XXX.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Auaricum Biturigum.

NON pessimi debitoris est, cunctari in soluendo, dum se alieno ære, quantouis interuallo, liberare studeat: etsi is commodior est, qui ad fidem, temporis etiam addit opportunitatem. Ego verò priori me ex genere esse fateor: ídque, quia bene tibi sum hac ex parte cognitus, non apud te excusabo pluribus, neque propterea irasci te mihi arbitrabor, aut officij pœnitere te tui, tanquam indigno, ingratóque feneraueris. Et verò fuit aliquid in epistola tua, quod

mihi hanc qualemcumque culpam, & tarditatem iniecit; quòd eo nitore,& sermonis elegantiâ scripta est, vt huic è vestigio respondere difficile mihi visum sit, ac vel vadimonium deferendum, vel spatij ad rescribendum, & otij sumendum aliquid fuerit. Sed minimè committam, vt hoc ipsum agam, quo nihil mihi opus esse dixi, factum vt excusem meum. Illud potiùs attingam, quod erat in tuis litteris, quódque mihi magnæ voluptati fuit; te in Biturigibus hoc assecutum, quod iamdudum optabas, animi æquitatem, & quietem. Ostendis enim te maiore, quàm aliàs vnquam, in tranquillitate, ibi, vbi es, ac pace viuere. Id adeo Dei benignitate factum interpretor, qui tibi compensationem hanc pristini laboris & operæ concessit: vt detersis molestiis, curísque omnibus, totum te honestis officiis, ac vel publicis, vel priuatis studiis addiceres. Cum hoc tam iocundo, támque optabili statu, non est quod tu, non dico superiorem illum (quid est enim eo laboriosius?) sed vel maximè florentem, & omnibus refertum prosperis eiusdem generis commutare cupias, aut secùs ac tum sperabas, cecidisse res tuas doleas. Ita enim significare visa est epistola tua, & obductam iam cicatricem, præteritorum memoriâ refricare. Quod vt desinas facere, & omnem illius temporis recordationem obteras, non hortor solùm, sed etiam obsecro. Non te pluribus admonebo, hominem non doctrinis tantùm, sed vsu quoque similium rerum eruditum; quo ex vtroque genere petere me-

dicamenta potes morborum iſtorum animi, & cùm tute ipſe tibi, tum aliis opem, ac præſidium afferre. Me, quoniam id noſſe tuâ intereſſe putaſti, ſcito commoda ſatis vti valetudine: niſi commotiunculis interdum afficerer, quas iis morbi reliquiis numero: vt & illud ipſum, de quo nominatim percontatus es, quod œdipus eſſe perſeuero. Scis vnde hoc nomen adeptus iſte ſit. Meliùs tamen, quàm dudum, ac longiùs adeóque in villam vſque ambulo. Ceterum Romanæ profectionis mentio iam refrixit; immo eſt extincta penitùs, nihil certè noui hactenus audio. Ea ſpe confirmatus totum me ad priſtina ſtudia & inſtituta retuli; ex quibus aliquid, vt ſpero, propediem exiſtet: quod vt maturius, & pro eo, atque tua, ceterorúmque ſpes eſt, fructu, & emolumento maiore accidat, tuis me precibus, ac ſacrificiis etiam atque etiam commendo; nec non Patrum, fratrúmque, qui illîc ſunt, quibus à me ſalutem dicas velim. Vale, & pro me communem Dominum deprecare. Lutetiæ Pariſiorum 5 Eid. Dec. CIƆIƆCXXXIX.

Iam iſtas R.P. Rectori obſignandas dederam, cùm poſtridie, alteræ mihi à te redditæ ſunt vnà cum meis, vt ſi quid ad recentiores tuas noui eſſet quod ſcriberem, id poſſem addere. Mihi verò nihil admodum occurrit, quod ad ſuperiores adiiciam, niſi illud de poëmate noſtro, quod nudiuſtertius pronuntiatum eſt in frequentiſſimo cœtu, ab Philoſophiæ quodam auditore, iuuene docto; qui tam aptè, ac

decenter, tantáque cum dignitate dixit, nihil vt ne tu quidem desiderare ipse posses, quem in talibus morosi ac delicati fastidij esse vidi. Itaque non malis fortasse versibus multum gratiæ, ac commendationis attulit. Sed hæc omnia, vti & cetera quæ sub sole fiunt, ad Ecclesiastis κυρίαν δόξαν exigenda sunt. Cuius libri duo iam capita priora, aliud agens, vti moris esse mei scis, & vt in Psalmis factitaui, Græcis versibus reddidi. Horum tibi capitum primum descripsi: tum vt contemnendis rebus infimis omnibus assuescas; tum vt gustum Græcitatis, quem tibi asperseram, non penitus obtundas. Atque hoc habebis mantissæ, vel fenoris loco, ne de vnis meis ad tuas binas conqueri possis. Volo autem, si quem illîc habes μουσοπάτακτον, & Græcarum elegantiarum non omnino rudem, cum eo specimen istud communices: etiám-ne illi, qui meum nomen in libris suis traduxit? Etiam; si ita opus esse iudicabis, & operæpretium in eo esse videbitur. Vale iterum, & à N. salutatus, & hunc etiam postremum, præter suprà memoratos alios, saluere à me iubeto.



EPISTOLA XXXI.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Auaricum Biturigum.

QVAM non vacuo sim ab negotiis animo, ex eo potes existimare, quòd semel iterúmque lacessitus, nihil tibi responderim. Ita sese res habet, mi Pater, vt nec vnquam maiore ad quenquam voluntate scripserim, quàm ad te cupiebam: neque ad id agendum, vel recordationis, vel idonei spatij satis habuerim. Non enim clam te esse arbitror, ex quo hinc Auaricum auolasti, quàm variis, quámque negotiosis rebus occupatum id mihi tempus omne præterierit. quod ne nunc quidem liberius, ac solutius est, quàm anteà. Sed fremitum tuum vltrà sustinere non poteram: præsertim iis lectis versibus, qui torporis in me siquid esset, excutere possent, & afflatu illo calefacere, quo sunt à te scripti. Et habent ad nos excitandos argumentum non inutile, quòd aquæ, frigidi scilicet elementi, minimé que actuosi, conuersionem in vinum exhibent, rem vtique vegetam, & ad languorem discutiendum aptissimam. Hinc ideo cepi initium respondendi tibi, quòd ea me res in postremis tuis singulariter delectauit. Sed heus tu! nónne carminum, ac ludicrorum satis est? Quousque verò? At

contineo me. Video enim te hoc idem obiicere posse mihi: quem tu scire debes hoc anno Græca, Latináque carmina bene multa fecisse. Græcè primùm Ecclesiastæ metaphrasim integram, imparibus, vt institueram, versibus: Latinè autem poëmata duo, alterum de expiata in Templo; alterum de salutata ab Angelo Virgine: quæ duo pòst paullo, in vtroque sodalitio pronunciabuntur. Tertium in manibus habeo de concepta eadem Dei matre; cuius centenos iam versus absolui. Verùm ne tibi nimium exemplo nostro placeas: scis profectò, quantum à tua seiuncta caussa mea sit. Primùm tu ceteroqui piger es, & cùm animo, industriáque plus me valeas, laboris improbitate vinceris. Tum tu in minuta ista totum immergere te soles, & πάρεργον facis ἔργον. Adeo res te prima quæque capit, & affixum tenet. Ego nullam in istis serij temporis particulam colloco: sed eundo, redeundo, ambulando per vrbem, per ædes, inter cœnandum, noctu, reliquis subseciuis horarum momentis, raptim illa meditari soleo. Hoc si ita facis, nihil vltrà verborum addo, quin tu facere pergas: sed si aliter, ac more illo tuo quem vidi, agis istud; valde reprehendendum puto. Habes in quo ingenium tuum, & otium fructuosiùs ponas, occupationem te dignam, & elegantem, scripturæ interpretandæ professionem: quæ tibi, si sapis, delicias istas excutiet, ac mollitiem: & verò morbum, quem κάθησιν Græci, malaciam Latini Græco etiam vocabulo nominant. Quin

tu, mihi ſi credis, Hebraïcis litteris ſtudij aliquid imperties : vt ad enarrandas litteras ſacras eo fidentior, ac paratior accedas. Profectò operæpretium feceris, ſi iſta cures, dum mens, & ætas, & tempus ſinunt. Ego me, ſi quâ re poſſum (poſſum autem in Hebræis aliqua) totum vt debeo, tibi offero. Vale, mi Pater, ac mei diligenter fac memineris in precibus, ac ſacrificiis tuis. Salutem à me dicas velim R. P. Rectori, quem ſpes eſt hîc propediem fore:tum NN. ac ceteris, quos mihi notos ſcies. Lutetiæ Pariſiorum anno ineunte CIƆIƆCXLI, quem tibi ac reliquis omnibus auſpicatum precor, Ianuarij 3.

EPISTOLA XXXII.

Franciſco Vauaſſori Societatis Ieſu, Auaricum Biturigum.

NOLI deinceps de lentitudine mea, vel litterarum raritate conqueri, vides ἀπαλλήλους epiſtolas : quarum poſtremam incomitatam ne dimitterem ; adieci ad eam librum Græcorum carminum nuperrimè excuſum, quem ſummo Pontifici dicaui. Et interim dum Latina properantur, quibus ille ἐν προσθήκης μέρει annectendus eſt ; ſecreui aliquot exemplaria, quæ in amicos diſtribuerem. Heri Nicolaũ Borbonium adij, vt illi offerrem vnum. Is multa de te cùm

amanter, tum honorificè. Hebræa sunt in illo Græco volumine quædam: quæ si non intelligis, habes ad manum qui ea tibi explicet, N. Hunc enim illius linguæ bene peritum oportet esse, qui Romæ publicè est delectus, vt coram legatis, aut principibus viris inter prandendum Hebraïcè declamaret. Eo igitur vtaris interprete censeo. Aut si minimè is placet: at tu te ipse per te quantum potes enitere. potes enim, אם תנער חצנך, hoc est, ἐὰν τὸν βραχίονά σου ἐκτινάξῃς. Ἄρχου Ἑβραΐζειν μόνον, ὦ ἀγαθέ, ἀρχομένοις. Breui senties non me vanum monitorem fuisse: nec te operæ pigebit. Vale mi Pater, meíque in tuis sacrificiis, & precibus memento. Saluere à me iubebis R. P. Rectorem, καὶ τὸν προειρημένον N. IV. Cal. Sept. CIↃIↃCXLI.

EPISTOLA XXXIII.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Auaricum Biturigum.

SI hoc præsertim tempore, in quo tanta cuique est expediendæ rei suæ difficultas, tam acres, & assidui sint ad exigenda nomina creditores, quàm tu es in appellando me: cùm multi alioqui sint, plures adhuc essent, qui non bonis rebus suis citati, foro cederent. Quid enim? Ignorare scilicet hoc potes, ego quibus districtus sim, irretitúsque negotiis, ac pæne

obrutus? cùm eodem tempore plura in manibus habeam, quâ de integro ſcribenda, quâ in lucem edenda iam ſcripta. Et tu tamen, quaſi otioſus hîc ſedeam, vrges, inſtas, obiurgas, ſi minùs ad tempus reſpondeam: cùm eo vir bonus contentus eſſe debeat, ſi id aliquando quod debeo, quamlibet ſerò perſoluam. In quo quàm ſis iniquus animaduertes, ſi fabellam legeris, quam elegantiarum pater Horatius in epiſtola ſecunda libri ſecundi, Atticis, immo Romanis veneribus condiit. Cuius, quia eſt paullò longior, clauſulam hîc tibi ſolam exhibebo.

Prudens emiſti vitioſum. dicta tibi eſt lex.
Inſequeris tamen hunc, & lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiſcenti tibi: dixi
Talibus officiis prope mancum: ne mea ſæuus
Iurgares ad te quòd epiſtola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia iura
Si tamen attentas?

Hæc ego ſum præfatus, vt te adducerem, ſi poſſem, ab hac inclementia: & vt per te mihi interdum negligenti eſſe liceat. Sed vt tandem ſeriò tecum (iſta enim iocando ſcilicet adſperſi) vehementer gaudeo, quòd reſipuiſti denique: téque ab deliciis iſtis, hoc eſt, poëticis ſtudiis, ſic quaſi puerilibus auocamentis, ad ſolida, & virilia tranſdidiſti. Nam quòd meum mihi factum obiicis: primùm quis te exemplo meo, periculo autem tuo, peccare cogit? Deinde quæ ſit mea cauſſa, paullulum attenderes, & quàm diſſimilis tuæ: de qua iam poſtremis in

meis habuisti. Hæc dixi, vt te ab imitando me dehortarer: quem ſcire debes adeo non pœnitere priſtini delicti, vt in eo adhuc perſeuerem. Etenim non ſolùm Eccleſiaſten Græcis elegiacis verti, quem pæne iam expeditum à prælo nunc habeo, & breui ad te mittam, Græco inſtructum comitatu ceterorum verſuum, quos palantes in vnum contuli: & cum epiſtola noua Græca, Vrbano inſcripſi Pontifici ſummo. Sed Threnos inſuper Ieremiæ Iambicis trimetris Græcis nuper inſtitui reddere. At iſta quemadmodum tractem, quo tempore, quàm non importunè, iam, vt dixi, poſtremis tibi litteris meis expoſui. Nunc quod ad conſultationem tuam attinet; Scripturæ ſacræ ſtudium ab Hebræis ordiare cenſeo. Id enim apprimè ad eam rem eſt vſui; adeo vt qui illius linguæ ſit rudis, rudem eundem eſſe conſequens ſit ſacrarum litterarum: quantumuis multis, ac bene amplis commentariis armatus ad id ſeſe conferat. Hoc eò magis conſilium probo, quòd ſtudium iſtud non te totum ſibi vendicabit; ſed cum eo coniunges & alia, quæ itidem neceſſaria videri tibi ſignificaſti; Conciliorum, ac veterum Patrum, & antiquitatis omnis Eccleſiaſticæ ſcientiam. Patres quo ordine peruoluas, non multùm ad ſummam refert. Potes tamen ab antiquioribus legẽdis initium facere. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Annalibus Baronianis repetes. In qua etſi nonnulla peccata ſunt: tamen vbi te vſu corroboraueris, paullatim ea recognoſces, & corriges. Nam Con-

ciliorum legendorum ordo se ipse prodit: cùm à primis quibusque progressus ad posteriora faciendus sit. Habes ad omnia, pauca illa quidem: sed si iis vteris, plus satis. Sin minus adhibes; quid his plura requiras, caussæ nihil video. De Patre τῷ τῆς ϛ. προεστῶτι ita planè est, vt scribis: & ego coràm, atque vsu ipso, aspectúque didici. Quiduis potiùs tolerandum, quàm hæc iniuria capienda fuit. Sed multa improuisò, ac præter opinionem incidunt: quæ magis facta damnamus; quàm ne euenirent prouidere potuimus. Μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω. Theologia nóstra cursum suum tenet. Iam enim tomus vnus absolutus est: alter multùm processit. Tuis mihi precibus opus est, cùm maximè, vt quod institui, feliciter ad exitum perducam. Eas igitur implorare pergo: vti mei in sacrificiis tuis memineris. R. P. Rectori salutem à me plurimam dicito. simul illud; Luculli hospites, quibus quotannis operam dedimus, hoc primùm anno cessasse. Augusti 4. 1641.

EPISTOLA XXXIV.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Auaricum Biturigum.

CVM plurimæ in te sint artes eleganti ingenio dignæ, nondum tu tamen coniector esse didicisti. Vel illa tua nupera diuinatio de

Luculli hoſpitibus, quàm non ἀστόχως & ad rem fuit! Tu Gallinas neſcio quas ſomniabas. Sed videſis, quid apud Plinium libro 15, capite 25, Lucullus in Italiam inuexerit, adſtipulante Tertulliano Apologetici capite vndecimo. Hos vbi legeris, tum is facilè, qui cum communicandum dixeram, ænigma tibi illud explicabit. Puto ad te perlatum fuiſſe volumen Latinorum noſtrorum carminum, quocum & Græcorum ſub eodem ſittybo compactum eſt alterum. etſi hoc ſeparatum iam ad te miſeram. Sed δὶς τὰ καλά, vt me apud te ipſe prædicem. Habebis hîc multa noua cum veteribus: & inter illa, Panegyricos B. Virginis, qui ſingillatim in ſodalitij exhedra dicti ſunt. Sed quod incurioſiùs emendationi illius libri præfui, tædio fractus tot correcturarum, quædam ſanè fœda interim irrepſerunt. Velut p. 140. ver. 12. leg. *Purpureo lauit amne*. P. 206, ver. 15. *Triſte gubernaclum*. P. 228, ver. 4. *Hunc & ſorte olim ſuperet*. P. 236. *Erebóque poſcor*. Tu & hæc in tuo codice, & per te alij in ſuis emendabunt. Te enim auctore, ac fideiuſſore diſtrahi illîc mercem oportet iſtam. Ac me quoque, ſi quid præter illa inter legendum occurrerit, certiorem facies. Putabis callidè id à me tibi oneris imponi, vt te ad legendum adigam: nec te fallet ſuſpicio. Velim ita quidem legas, vt & caſtiges, ac cenſoriâ notâ configas, ſi quid ad κριτικώτατον tuum acumen offenderit. Sed hoc ſeriò te nolim agere: verùm quibus & vacabis horis, & per metamorphoſes tuas licebit: quas iam prælo de-

ſtinatas audiebam: & hactenus quidem. Nam nihil harum vidi, præter ſpecimen illud, quod dudum ad me miſiſti, quod mihi lubentiùs omnibus Gratiis, ac Muſis expreſſum videbatur. Sed an non abundè verſuum eſt: nec iam hoc commentandi genere ſatur es, quod ab aliis te grauioribus, magíſque neceſſariis auocat; quidquid ex aduerſo cauſere. Verumtamen fruere iudicio tuo, ſi ita lubet, neque meum tibi conſilium placet, quod de Hebræis ex animo complectendis, penitúſque combibendis ſalubre dederam. Et tamen is vir es, qui tibi frigidè, ac malignè conſuli à me querare, nihílque præter vulgaria & quotidiana præcepta ſuggeri: cùm tu recondita, & vſu illo digna, quem diuturnum in illis habemus, expectaueris. Atqui ſi tu communia iſta, & tamen, vt fateri debes, neceſſaria faſtidis, ac neglectim obis, quid arceſſitis illis, & exquiſitioribus opus eſt? Aggredere modò: quod iam fortaſsè feciſti; ac circa minuta illa, & στοιχειώδη animum exerce. Nam ad maiora contendenti prima quæque arripienda ſunt, & in promptu poſita. Et errant qui compendij ſpe, tranſcurſis mediis, ad extrema properant. Opus noſtrum plenis iam paſſibus procedit in dies: cuius editionem præſens, vti ſpero, annus abſoluet. Interim toto illo in procurando negotio opinione maiorem capio laborem. cuius moleſtiam leuat expectatus operæ fructus. Quem tibi aliorúmque, qui iſtic ſunt, noſtrorũ precibus Deo acceptum, & Eccleſiæ fructuoſum confido fore. Velim ex

omnibus nominatim à me ſalutes R. P. Rectorem, qui tibi ænigmatis œdipus erit: collegas tuos, & ſi quos noſti memores mei. Quibus omnibus viciſſim fauſta, & ſecunda quæque comprecor. Vale. Febr. 21. 1642.

EPISTOLA XXXV.

Franciſco Vauaſſori Societatis Ieſu, Auaricum Biturigum.

PER illud mirum mihi accidit, quod ex poſtremis tuis litteris didici, nondum ad te perlata eſſe Latina mea poëmata, quæ tanto antè miſeram. Cuius moræ cauſſas inquirenti mihi reſponſum ab illo eſt, qui hoc in ſe receperat, fratre Sebaſtiani Cramoſij; ſe tabellariis, ac veredariis librum illum noluiſſe dare, ne vectura cariùs conſtaret. Quod igitur in rem tuam, tuíque collegij factum eſt, id bonam in partem debes accipere, neque duriùs interpretari, *καὶ ἀναίτιον αἰτιάασθαι*. De gripho noſtro *αἰνιγματωδέστερα* ſunt quæ ſcribis. Et tamen ſuccénſes, quòd te nondum intelligere dixi. quod profectò verum eſt. Nam ad Gallinas neſcio quas redis, de quibus ne cogitaram quidem. Vidi ante aliquot dies Borbonium virum optimum, & apprimè tui ſtudioſum. Is ſe anno ſuperiore longam epiſtolam aiebat ad te miſiſſe: nec quid ea factum ſit, hactenus ſciſſe; ſuſ-

picari autem, tibi non eſſe redditam, quòd nihil reſponſi dederis. Idem vt ſuo te nomine ſalutarem, multùm rogauit. Tertius iam operis noſtri tomus ſub prælum ire cœpit; quo abſoluto paululum interquieſcam, vel, vt eruditiùs loquar, interiungam. Id quod ego iamdudum cupio.

Commodùm iſta ſcripſeram, cùm alter ad me faſciculus tuus allatus eſt: in quo erat metamorphoſis vna de tuis, quas olim commentari te mihi ſignificaueras. Eius aliquot è veſtigio paginas deuoraui. Cetera ſubinde perlegam. Viſa mihi ſunt, quæ raptim obire potui, poëtico lepore condîta, & imprimis Latina. Vale. 6. Iun. 1642.

EPISTOLA XXXVI.

Franciſco Vauaſſori Societatis Ieſu, Auaricum Biturigum.

ET breuiorem tibi, & minùs limatam epiſtolam rependam pro tua illa caſtigata & imprimis polita, quam ad me pridie Non Octobres miſiſti. Cur quàm & ſoleo, & forſitan expectas, ſcribam modò breuiùs, cauſſam dedit nec opinata faciendi huius occaſio, quæ ſe mihi commodùm obtulit. Miſit enim ad me famulum ſuum Pariſienſis Senator Ponticarreus, qui cum vnà pranſi ambo ſumus aliquando; rogatum

tum vt commendatitiam epiſtolam ad Patres noſtros Bituricenſes ſcriberem, quò ſororis ſuæ filios ſtudiorum gratiâ mitteret. Eam ſum reſcribendi tibi anſam libenter amplexus; tum vt ne te longiùs differrem: tum vt excuſationis aliquid caperem ex illa feſtinatione, ſi minùs tuarum literarum elegantiam aſſequi poſſem. Sed mitto quod non ſolùm longioris, ſed etiam iuſtæ inſtar epiſtolæ eſſe debet, carmen tibi, quod iubente P. Rectore nuper effudi, in templum S. Franciſci Xauerij in ſuburbio S. Germani à Franciſco Subleto Noierio à fundamentis extructum. Ad quod ingenij tui, ac iudicij limam admouere te volo. Simul illud rogo; vti pueros iſtos, de quibus initio ſcripſi, quàm commendatiſſimos & habeas ipſe, & aliis facias. Vale, ac Deum pro me precare. IV. Non. Dec. 1642. ipſo die B. Franciſco Xauerio ſacro.

Iniunxerat P. Rector vnicuique noſtrûm in templi partes ſingulas Epigrammata ſcribere: Ego tholum ſortitus eram. de quo illud habeto.

Dona pij: fortes hoſtis monimenta ſubacti
Suſpendunt medio bellica ſigna tholo.
Tu neutrum, Sublete, facis: ſed munus vtroque
Grandius, hæc per te condita templa voues.
Nec mirum eſt: pietas hoc maior, opúmque cupido
Victa tibi quouis fortior hoſte, parit.

EPISTOLA XXXVII.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Auaricum Biturigum.

NON potuit alieniori tempore tuus ad me liber venire. Ita sum negotiis & variis & necessariis non vallatus modò, sed pæne obrutus. Maximè verò in tomorum trium conficiendis indicibus crux mihi certissima constituta est. Nam tres in vnumquemque destinaui, hoc est vniuersè nouem. Non potui tamen, quin tibi morem gererem, ac versus tuos percurrerem: tum etiam quibusdam nostrorum, eruditi ac limati iudicij legendos traderem. Quorum omnium mecum consentiens iudicium fuit: quod tibi, quoniam ita vis, & hortaris, paucis, & ingenuè perscribam. Imprimis conuenit, omnes illos cumprimis Latinos esse; hoc est, dictionem habere castigatam, ac puram, & ad nitorem antiquitatis exactam; cuiusmodi est Catulli, Lucretij: quem tu in plerisque adamare, & imitari videris: tum Horatij, & si quæ sunt aliæ Latini floris veneres; deliciæque. Verùm illud de titulo & inscriptione libri; scito nec mihi, nec illis quos adhibui in consilium, probari μεταμορφώσεις dici opus tuum. Quod tu quidem præfatione tua purgare voluisti. Sed minimè persuades. Nam

nihil minus habent pleraque, quàm quod vocabulo isti respondeat. exceptâ vnâ vel alterâ historiâ. Quid autem attinet μεταμορφώσεις vocare transitus à morbo ad sanitatem? Nimiùm, mihi crede, laxa est, & ampla nominis vsurpatio, quam vereor vt satis tueri possis. Etenim de Ouidio quod scribis, habet ille quidem ἐπεισοδίων plurima, & aduentitia. Sed quæ non ex instituto, neque προηγουμένως: verùm alterius gratiâ; & ad nexum, ac velut commissuram fabellarum, quæ propriè dictas habent μεταμορφώσεις, illigari sentias. Tua ratio non est eadem. quippe nullam admodum attingis historiam, quæ propriè nomen illud mereatur; præter vnam, vt dixi, vel alteram. Hæc de opere tuo, quoniam sic iubes, putaui tibi scribenda. Ac nonnulla etiam ad marginem adnotaui, quæ parua commutatione meliora posse fieri crederem. Tu vtrumque bonam in partem accipies, & idem in meis versibus, ceterísque scriptis, non me solùm æquo animo ferente, verùm etiam laudante, & hortante, fas tibi esse confides. Vale. Scripsi hæc vno propemodum impetu; properans scilicet; & ad ea, quæ sunt præ manibus, animo gestiens. Deum precor, vt te incolumem, ac fortunatum velit. VIII. Cal. April. CIƆIƆCXLIII.



EPISTOLA XXXVIII.

Francisco Vauassori Societatis Iesu, Auaricum Biturigum.

PRIORIBVS tuis litteris respondere meditantem genus alterum responsionis auocauit, quod multo vrgebat magis, & defugere nullâ excusatione poteram. Id quale sit, neque tu ignoras, & iam, opinor, vidisti. Altera cunctandi caussa fuit, quòd te propediem huc esse venturum intelligerem; ac coràm, te de meis, méque de tuis rebus cogniturum. Itaque statueram nihil ad te litterarum dare. Sed expugnauit pigritiam meam posterior epistola tua, quâ te de profectione monitum, neque nolente id me facturum esse significasti. Non is sum qui meam operam tibi venditem, & ostentem. Tantùm illud dicam, optatissimum omnibus, qui hîc sunt aduentum tuum, mihi verò longè iucundissimum futurum. Quamobrem te hortor, vt quàm citissimè potes, ad nos aduoles. potes autem ineunte hebdomade sancta. Quod in tempus expectari te à me scito. Interim quid post Paschales ferias prælegere in scholis commodo tuo debeas, apud te constitues. Licet autem ex Nouo Testamento quidquid voles capere, præter vnam ad Romanos epistolam, quæ hoc semestri priore à nobis est

exposita. De Hebraïcis studiis iterum appello te; & vt in ea gnauiter incumbas, moneo acriùs, & insisto. Et si iam te spero in litteris istis luculenter esse progressum. Quippe ita iampridem suaseram, & te non aliter facturum receperas. Viue, vale, ac pro me communem deprecare Dominum: meóque nomine cum primis R. P. Rectorem saluta, ac de Luculli hospitibus in memoriam illi reuoca: si tamen scis quid istæ sint. tum Patres, fratrésque ceteros: maximè NN. quorum ego me precibus, ac sacrificiis commendo IV. Non. Mart. CIↃIↃCXLIV.

EPISTOLA XXXIX.

Nicolao Borbonio V. Cl. Andomatunum Lingonum.

GRATISSIMA mihi tua recordatio est veteris amicitiæ nostræ, quam sibi te sæpe esse testatum scripsit ad me Nicolaus Oudæus qui Lingonensi familiæ nostræ præest. Is te quoties domum conuenit, toties de me exortum abs te sermonem esse dicit cum præcipua significatione pristinæ in me tuæ voluntatis, & honorifica commendatione nominis mei. Quod vtrumque quia nullo meo merito, sed abundantia quadam bonitatis & humanitatis facis; eò pertinere debet non vt tanti me faciam, quã-

ti me esse vis; sed vt quoquo modo carum me esse tibi vehementer gaudeam. Ego verò neque amare te vnquam desij (Vir Clarissime) & ea perpetuò prædicaui, quæ in te esse singularia perspexi, summam ingenij eruditionísque vim cum pari animi candore, & ἀτυφίᾳ. Quorum alterum commune habes fortasse cum paucis; in vtroque verò superiorem, vt opinor, neminem. Quocirca libenter ea sum vsus occasione, vt quod iamdudum cupiebam, ad te scriberem, mutuámque consuetudinem nostram longo interuallo reuocarem. Quod meum studium, si tibi non ingratum esse cognouero, repetam illud quàm voles sæpe, quantúmque tua illa tot modis infirma valetudo patietur. Nunc ne gratis hoc quodcumque est mutuæ scriptionis officium occupasse videar, peto imprimis abs te; me, quod hactenus fecisti, constanter vt ames, téque vicissim amari confidas : tum vt Patres nostros, qui illic apud vos degunt, eodem illo amore ac beneuolentia complectare, & quibus potes auctoritatis tuæ præsidiis tegas, atque confirmes. Scribit ad me ille ipse, quem paullo antè nominaui, Nicolaus, omnia abs te, quæ quidem optari ab ordinis istius homine possunt, extare in se hactenus amici animi, & beneuoli signa; tibíque vt eo nomine gratias agerem litteris suis hortatus est. Id non solùm facio quantum possum, sed etiam oro obsecróque vt ad hunc amorem in illos tuum, amorísque significationem nonnulla meâ causâ fiat acces-

ſio. Ego ſi quid viciſſim tuâ gratiâ poſſum, etſi debitum iampridem tibi eſſe ſentio, dabo operam vt libentiùs, quàm vnquam antea, & cumulatiùs à me perſoluatur. Vale.

EPISTOLA XL.

Nicolao Borbonio V. Cl. Andomatunum Lingonum.

NVPER ad me cùm ſcriberes (Vir Clariſſ.) vereri te dicebas neſcio quam meam Latinæ linguæ facultatem, quo minore ad me fiduciâ, quàm ad mortuum Ciceronem Petrarcha quondam, litteras dares. Hoc, niſi te penitus noſſem, iocandi, & illudendi mei gratiâ dictum interpretarer. Nunc vel amori erga me tuo; vel ſingulari animi de ſe nimium puſillè, de aliis magnificè ſentientis modeſtiæ malo tribuere. Ego verò, quod vndecumque potiùs, quàm ex rei veritate profectum de me iudicium intelligo, multo id in hoc meo facto de te iuſtiùs vſurpare mihi poſſe videor. Nã cùm ad te ceterarum quidem humanitatis artium, ſed poëtices imprimis laude florentem; quædã hoc in genere à me nuper elucubrata mittam; vereri abs te mihi multo debeo magis, atque ingenio meo, facultatique diffidere. Quod equidem facerem; niſi excellentem illam vim tuam, ac præſtantiam ſumma condîram hu-

manitate, & amore in nos, ac beneuolentia cognoſcerem. Pro qua id mihi tribui abs te peto, Latinos vt iſtos Græcóſque verſus non patienter modò legas, ſed etiam iucundè. Quod ſi nihil aliud, certè argumenti genus ipſum impetrare poteſt: quod etiam, vt ad illos ſcribendos tanto me interuallo referrem, perſuadere mihi potuit. Scis enim quàm pridem, ab hiſce muſicis ſtudiis animum meum atque operam abduxerim, alióque tranſtulerim. Quò me identidem & ex interuallo referre minùs pœnitebit: ſi optimo hac ætate iudice te, operæpretium vllum in his quæ tibi offero feciſſe videor. Vale.

EPISTOLA XLI.

Sichardo Gachiacenſi Abbati Perigniacenſi.

FRATRIS tui dignam æternitate memoriam, quam non longo elogio ſum complexus, mitto ad te, Reuerendiſſime Pater, vel amoris erga illum & obſeruantiæ teſtimonium, vel virtutis illo ordine dignæ formam & exemplar, cuiuſmodi in vita ſua, & moribus expreſſit: De quo elogio profiteri hoc vnum poſſum, nihil in eo vel ambitiosè confictum, vel ſupra rei veritatem auctum & amplificatum eſſe Cuius rei cùm ipſe mihi ſum teſtis, tum ceteros

omnes conſcios habeo, téque præſertim, qui omnium illum optimè noſti.

Galliardi Cornaci Abbatis Villalupani ad Angeuerum in Turonibus, memoriæ ſacrum.

QVI Toloſæ Senatorio genere ortus, maiorum claritudinem animo ac virtute ſupergreſſus eſt. Septennis Lutetiam Pariſiorum, linguæ & ingenij formandi cauſſa miſſus, ibidem excellentibus magiſtris Turnebo, ac Maldonato operam dedit. Toloſam rediens Ioanne Corraſio celebri Iuriſconſulto doctore tantùm profecit, vt vix duodeuiginti natus annos, quod didicerat, magno concurſu, & approbatione profeſſus ſit. Poſtea in Senatum allectus, inde ab Ill. Cardinali Borbonio in contubernium adſciſcitur, quem ita ſibi demeruit, vt is in eius amore, & obſequiis acquieſceret; conſilio verò pæne in omnibus vteretur. Nec ille præpotentis amicitiæ præmia ambitiosè ſibi vſurpare inſtituit: ſed ad aliorum rationes, & humanitatis officia tranſtulit. Multa & fructuoſa ſacerdotia vltrò ſibi delata, maiora quàm pro meritis ſuis cauſſatus, in alienos ſæpe deriuauit. In magna ſpe rerum ampliſſimarum, cùm & purpureus iam ei galerus oſtenderetur, mortuo patrono, cui vt in ſecundis, ſic in aduerſis fidem præſtitit, quadriennali & eo amplius, cuſtodia maceratus, ſeſe mox ad Carolum Lotharenum Mainenſem principem applicauit. Huic ſummis & difficillimis in negotiis, crebríſque

legationibus industriam probauit suam. Eo quippe, & Ianino velut fœcialibus & interpretibus, pax inter Henricum M. & fœderatas partes coaluit. cuius vt apud Clementem VIII. Pont. Max. rationes exponeret, legatus Romam profectus, adeo se cùm ceteris, per quos iter habebat, Italiæ regulis, tum illi ipsi Pontif. commendauit, vt ad familiam suam vltrò eum inuitarit: recusantem honestissimo ad Mainensem principem elogio prosecutus sit. Romæ quoad fuit, Gallicani regni commodis, & Henrico M. quod tum agebatur, cum Pont. Max. conciliando sedulam, atque vtilem nauauit operam. quod ipsum Cardinalis Dossatus litteris suis testatus est. Reuersum in Galliam, & in Villalupano cœnobio pietati, ac litteris deditum Mainensis principis obitus interpellauit. à quo testamenti executor factus est: cùm in supremis mandatis id præcipuè filio mandasset, vt ex Abbatis Villalupani consilio penderet. quod illi salutare deinceps fuit. In magna fortunæ varietate, ac ciuilibus bellis, irretitum factionibus principem aut continuit auctoritate sua, aut ad officium denique reuocauit. Ad eundem Aquitaniæ deinde præfectum regiis litteris velut consiliorum moderator ire iussus, tam vtrique, quàm prouinciæ satisfecit adeo secundâ famâ, vt ad eum rex suapte manu scribens, sacri Consistorij comitiuam repræsentarit, Episcopum verò primo quoque tempore destinarit.

Secundùm hæc, Mainensem principem nouis ciuilium armorum turbinibus abreptum, ac post ceteros cunctantem, iterum regis ad potestatem, & obsequium adiunxit. Eidem postea Aquitaniâ totâ

legitima contra perduelles, & hæreticos arma circunferenti consilio & auctoritate præsto fuit. Eo mortuo, pristinam se ad quietem, pacisque studia conuertit. In Villalupano itaque secessu quod reliquum fuit ætatis per Catholicæ pietatis officia, & honestarum cultum artium exegit. Græcis, ac Latinis litteris apprimè doctus vtroque genere perleganter dictabat. Nullam non disciplinarum partem à pueritia persecutus; tum memoria ad ingrauescentem ætatem vsque firma, ac præsente semper extitit. Veteres, ac recentes, peregrinas, & vernaculas omnes historias quàm fidelissimè, iucundissiméque reddere solitus: nihil vt eius conuictu, ac colloquio suauius putares. Ad continuum orandi, cælestiáque tractandi studium cùm virtutes ceteras, tum in egenos prolixum, ac liberalem adiecit animum. Præter vsitatas, & continuas stipes, quas prætereuntibus adspergebat; quinquaginta senibus certam quotidie pecuniam suapte nonnunquam manu distribuit. In summa verò annonæ caritate, octingentis circiter diurnam sportulam erogauit; in eósque sumptus æs alienum grande conflauit. Super legitima Quadragesimæ, ac reliquorum temporum ieiunia, quæ ne septuagenario quidem maior omisit vnquam, bina sibi hebdomadis singulis indixit. Vicinorum circunquaque lites, & simultates pari auctoritate, ac prudentia composuit. His aliísque Christiano dignis homine studiis intentus, saluberrima hactenùs valetudine, nec vllis ætatis incommodis affectâ, Sacramentis omnibus ritè perfunctus, inter religiosorum virorum complexus, quos Augustini exemplo pœnitentiæ Psalmos identidem

recitantes audiebat, placidum, ac fiducia plenum Spiritum Domino commendauit III *Eid. Dec. ann. Christi* CIↃIↃCXXVI.

EPISTOLA XLII.

Francisco Brauo nobili Hispano, Antuerpiam.

NIHIL abs te consultius fieri potuit, quàm quod fecisse te scribis, vt ab armorum bellíque strepitu, ad otium te litterarum, ac pacis studia transferres. Nam, vt tuâ quod priuatim refert, omittam modò; illæ ipsæ, quarum ad consuetudinem redisti, litteræ iacturam maximam facturæ videntur; nec nisi ægerrimè, ferre posse, vt ea nobilitate, ea ad omnes disciplinas indole, ac spe iuuenis, hunc sibi iam desponsum ætatis, & ingenij florem à se abiiceres, alióque transfunderes. Quod autem huius me tui consilij fautorem habere studuisti, cúmque tibi mutuam ad consuetudinem nostram aditum fore putasti; in altero quàm non sis spe tua falsus, meum de tuo facto quod exposui iudicium ostendit: de altero vereor ne quem nimium opinione tua finxisti, perpusillum ex hoc vsu nostro, amicitiáque fructum minorem certè fama, expectationéque tua capias. De me enim qualiscúmque concitatus est hominum rumor, non potest non esse merito

meo maior. quanto ſit verò; vt alij non ſentiant, ego certè ignorare non poſſum, cui quo familiarior eſt, eo magis eſt imbecillitas inſcitiáque mea, quàm illis falſa quædam quæ in me apparet ſpecies nota doctrinæ. Sed vt de me loqui deſinam; ad téque reuertar; magnopere hîc ſcito laudari ſtudium tuum, quod in eruendis è Laurentiana bibliotheca veteribus libris ponere te dicis. De quo plura Sirmondus noſter ad te ſcribet. Hic enim Catalogi tui, quam vtrique mandaſti, curam in ſe recepit omnem, hactenus quidem, vt ſuper ſingulis quæ tu rogaras adſcriberet. Nam vt inueſtigari, expediríque iſtud ipſum, quod ad te ſcriberetur poſſet, communis cum illo ſolicitudo mea fuit. Ex eius ergo litteris ea cognoſces, quæ de libris iſtis ab vtroque ſcire voluiſti. Poſtremò quod mihi ex celebri illa Laurentiana bibliotheca, facis quæ velim optandi copiam, accipio magni ac liberalis, & in me ſupra meritum prolixi animi ſpecimen; cuius vt te nunquam pœniteat, quibus potero viciſſim officiis operam dabo. Deum interim precor; vt tam eximia indole, tantáque virtute, & humanitate, quæ eſt in te, dignos fructus propediem exiſtere, & in multos annos propagari patiatur. Vale.



EPISTOLA XLIII.

Vincentio Marinerio V. Cl. Valentiam.

IVSTISSIMA est querela de me tua (Eruditissime MARINERI) neque caussæ quicquam est, quin & meritò tu mihi succenseas, & ego quam voles pœnam commiserim. Nam nescio quâ meâ vel incuriâ, vel obliuione accidit, vt cùm aliquot ad me litteras dederis, ego nullas ad hunc diem reponerem. Id adeo non contemptu factum tui velim interpretere. Neque enim is es, qui contemni debeas: neque vt præter meritum tuum possis, à me id certè metuendum est tibi. Ac ne solus hanc inuidiam totam officij neglecti sustineam; scito temporibus ipsis, ac momentis, quibus ad me tuæ perlatæ sunt, quiddam esse tribuendum. Nam partim peregrè degenti mihi, partim necessarias in res intento, & occupatissimo datæ fuerunt. Itaque dum identidem quod præ manibus est responsioni præuertitur, longiùs, quàm par erat, extracta res est. Tuæ hoc æquitatis, & humanitatis erit, quamlibet grauem hanc condonare culpam, ac nihil propterea de amore in nos tuo remittere: quod vti scribis, ita facere te confido, vehementérque lætor. De libris tuis, quos huc misisse te

ſcribis, nihil equidem accepi. Neque ſi edantur in lucem, meum iis nomen inſcribi velim; immo verò id ne fiat magnopere poſtulo. Nam neque me tali honore dignor; & tu alios inuenire potes, apud quos eam gratiam fructuoſiùs, honeſtiúſque colloces. Vale.

EPISTOLA XLIV.

Euſebio Nierembergio Societatis Ieſu, Madritum.

ET iucunda mihi tua de me ſolicitudo fuit, & quid faciendum eſſet admonentis, prudentiæ plena, & auctoritatis oratio. Ego verò extitiſſe aliquem, qui me contra ſcriberet neque miror, neque moleſtè fero: tantâ autem inſcitiâ, ac cùm ſtili, tum ingenij barbarie præditum hominem id inſtituiſſe; partim miror; partim etiam non meâ id quidem, ſed communium litterarum cauſſâ dolendum puto. Etſi magnam partem admirationis huius litteræ tuæ ſuſtulerunt, quibus ita graphicè expreſſus homo iſte eſt: minimè vt mirum ſit ab tam vaſta, & agreſti indole tam ſacrum & horribilem fœtum editum fuiſſe. De hoc mihi quid facto ſit opus, nondum ſtatui. Nam cùm ad librum ipſum, auctorémque Alphonſum Caranzam reſpicio, planè ſcribendi conſilium abiicio. eſt enim vterque miſericordia,

vel, vt seuerissimi simus, contemptu, quàm odio & insectatione dignior. Cùm autem subit animum meum fastus hominis, ex imperitorum iudicio collectus: is ne impunitate longiùs serpat, reprimendus, atque abstergendus videtur. Itaque nondum, vt dixi, deliberatum mihi est, quid potissimum sequar. Vt autem prius illud amplectar, expectandum nihilominùs erit, dum alter nescio quis illius liber ad nos venerit, cuius anteambulonem esse Diatribam suam significat: & ad quem nobis pæne singulis versibus digitum intendit. Hunc nos hactenus expectamus. Interim de hoc in me caritatis officio gratiam tibi habeo maximam, quam, si qua re possum, remetiri cupio; tantisper dum plenam ab communi Domino mercedem eo nomine capias; quam tibi sempiternam, & vberrimam cupio. Vale.

EPISTOLA XLV.

Petro Castellarnauio Societatis Iesu, Barcinonem.

GRATA mihi prouocatio tua mutui inter nos officij, ac familiaritatis fuit: nec iucunda minùs bene de me merendi voluntas primùm è Schotti nostri; tum ex tuis litteris perspecta. Scripserat ille mihi iamdudum, se quic-

quicquid istiusmodi scriptorum, quo me in genere versari modò sciret, ex Hispania, locísque ceteris corrogare posset, diligenter esse curaturum. Adiecit amplis, vt solet, egregiísque promissis facta etiam verbis ampliora. Ac cùm illi plurimum eo nomine debeam, quòd tuam mihi notitiam, amicitiámque operâ suâ patefecit; tum non minores tibi grates habeo, quod apud Bartholomæum Morlanezium, quem mirificè prædicas, eiusdem te conciliatórem rei fore pollicceris. Nihil est quod eiusmodi hominum, qualem hunc esse litteris tuis significasti, amicitiæ anteponendum censeam. Feci itaque quod rogabas, & ad ignotum alioqui virum, sed tua mihi commendatione probatum, litteras dedi. Quem quidem valde gaudeo antiquitatis omnis, ac doctrinarum istarum esse studiosum. Ei tu verò litteras velim meas offeras, cum prolixa voluntatis in illum meæ testificatione. De B. Petri Alexandrini Martyris Opusculo gratissimum est quod scribis. præsertim cùm sit perbreue. Nunc enim in eo sum; vt Opus meum edatur in lucem, quo Doctrinam Temporum, & à Scaligerianis repurgatam fabulis ac nugis, & ad normam veritatis exactam copiosè sum complexus. Ad hoc Appendicis instar accedent selecta quædam Græcorum ac Latinorum veterum Opuscula, quibus Computistica methodus traditur. Cuiusmodi si quid in scriniis vestris latet, id ego magni beneficij loco à vobis accipiam. Habemus hîc typographos

duos fratres, quibus cum Madritensibus librariis institoribus commercium est. Iis ego has litteras ad vos mittendas dedi, simúlque rogaui, vt si quid istinc ad me mitteretur, tutò perferendum curarent. quod illi prolixè receperunt. Itaque nisi quid commodius ac breuius extrices, vti illorum opera ne grauere. Vale.

EPISTOLA XLVI.

Bartholomæo Morlanezio V.Cl. Barcinonem.

INCENSVS sum Castellarnauij nostri litteris, & egregia commendatione cùm virtutis, eruditionísque tuæ, tum amoris in Societatem nostram, ac laudum denique ceterarum, tibi vt notus, & amicus esse valde cuperem. Ad hoc ille verò mihi perfacilem aditum ab humanitate tua pollicebatur, si prior ad te litteras voluntatis meæ, desideriíque testes, & obsides darem. Quod ille mihi, cui te par est maximè esse cognitum, faciendum censuit, id ne insolens, ac tua dignitate alienum esset, vereri non debui. Vetus est præterea dictum

Αὐτόματοι ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἵενται.

quod ad bonorum conuiuia bonos admonet

ſponte necinuitatos accedere. Quanto magis ad bonorum, & illuſtrium, hoc eſt tui ſimilium virorum vſum ac notitiam, nobis qui quidem boni eſſe ſtudemus, fas eſt etiam non vocatos perrumpere? Sed hanc meam, ſiue quis audaciam interpretetur, ſiue intempeſtiuam cupiditatem ac nimiam, ſi æquitati tuæ probare poſſum; aut ſi meus ille ſequeſter & interpres fidem præſtiterit, non modò non pœnitendam mihi, ſed & gloriandam in omni eſſe vita ducam. Ac ſi multum ad animorum conciliationem valet eorumdem ſtudiorum ſocietas & coniunctio: te illarum doctrinarum, quibus ab ineunte ſum ætate deditus, vehementi quodam amore flagrare, & in earum ſcientia longè principem eſſe, idem, qui tui mihi ſalutandi auctor eſt, Caſtellarnauius confirmat. Quo minus dubitare certè debeo, quin tibi iucundum hoc officium meum, tua verò mihi humanitas ac benignitas in promptu ſit futura. Opus habeo præ manibus, ac propediem in lucem proditurum, quod de Doctrina temporum inſcripſi. In eo verò cùm populares multarum gentium annos accuratè diſputo; tum Eccleſiaſtici Paſchaliſque computi veteris rationem ac methodum. Quare quod ab eruditis tuique ſimilibus poſtulare ſoleo, id à te etiam atque etiam flagito, vt ſi cuius Græci Latiníve ſcriptoris ſuper hoc argumento lucubratio apud te exſtet, eius mihi copiam facere nongraueris. Id ego magno in beneficio, ac ſingulari reponam, & eo me no-

mine in ſempiternum tibi deuinctum putabo. Vale.

EPISTOLA XLVII.

Hieronymo Aleandro V. Cl. Romam.

AMOR erga te meus (Hieronyme vir clariſſime) doctrinæ tuæ primùm famâ concitatus ; poſteà etiam humanitatis opinione plurimum auctus , poſtremò vehementer inflammatus eſt, cùm me abs te amari certis ex indiciis , atque ex Sirmondi noſtri ſermone cognoui. Quæ res eo mihi iucundior accidit, quòd neque vllis meis meritis à te ſum amore laceſſitus , & idipſum , quod ego magna mihi mercede comparandum putarem , tibi vt amicus eſſem , tute ipſe ſponte tua detuliſti. Quare cùm eo nomine maiorem me tibi in modum deuinxiſti, tum audaciam feciſti ; vt quod abs te impetrare ſtuderem , apertè planéque perſcriberem. Epiphanij , quem ego Latinè ſum interpretatus , nouam & accuratiſſimam editionem iamdudum molior. Quam in rem pluribus mihi adiumentis opus eſſe non ignoras , ac veterum præſertim Manuſcriptorum copia : quam hîc nullam aux perexiguam habemus. Nam qui vnus in Bibliotheca Regia codex eſt , is mendoſus eſt , & ad cuſorum

exemplar expressus potest videri, adeo cum Basileensi illa vetere, ac deprauata geminus est. Quanquam nonnulla ex eo, nec pœnitenda in operam nostram contulimus: plura ex Schotti Antuerpiensis schedulis, qui ad Vaticanum Codicem Basileensem illam editionem olim exegerat: sed minùs opinor diligenter, & ad vnum duntaxat exemplar, nec vltra paginam 171. hoc est tertiam ferè Epiphanij partem. In cæteris solâ coniecturâ nitimur.

Quare ni tibi id molestum est, hanc à me gratiam ineas velim, vt si quod in Vaticana Bibliotheca Manuscriptum est, & eo quo Schottus vsus est plenius atque integrius, cum eo Epiphanij saltem reliqua conferri cures. Duo ad id video esse necessaria. Alterum, Codicem aliquem Basileensem excusum; cuius ad oram variæ lectiones adnotentur. Alterum, quod fortasse difficilius est, hominem aliquem qui id peritè possit ac velit facere. Quorum neutrum imponi tibi à me est æquum, χρῆσθαι γὰρ δεῖ ταῖς φιλίαις, οὐκ ἀποχρῆσθαι, sed vtrique certa hac ratione prouideri potest. Primùm vt Basileensem illum alicunde mutuo accipias, fidémque facias, pro eo me recentis nostræ editionis exemplum aliud esse redditurum. Deinde, vt idoneum hominem vel mercedis interposita pactione quæras, cui hunc laborem possis iniungere. Ego quicquid meo nomine spoponderis, diligenter præstabo. Et quoniam Florentiæ in Magni Etruriæ Ducis Bibliotheca vetustissimum Epiphanij exemplar

esse didici, vellem id per amicos, si illic tibi sint, efficere posses, vt cum illo Basiliensis Codex conferatur. Quod hoc modo confici potest, si dum Epiphanij reliqua illa quæ in Schotti schedulis desiderantur, cum Vaticano comparantur, prior interim Basileensis pars Florentiam mittatur, quæ eodem tempore ad Florentinum castigetur, dum cetera cum Vaticano collata Florentiam mittas. Feci fortassis impudenter, qui tibi homini & grauissimo, & aliis in rebus occupato tantum oneris indixerim: sed nimirùm quid à te, tuóque commodo vellem, liberè ingenuéque præ me tuli. Tu si minùs id præstare, ac si facturum te omnino negaueris, non modò non irascar; sed deprecabor etiam culpam, atque alterum certè quod negare non potes, me vt ames nihilominus, meáque ipse opera vtare, magno abs te opere postulabo. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

Lucæ Holsteinio V. Cl. Romam.

CVM præter officinam Sebast. Cramoisij nuperrimè transirem; paullulum is me moratus à te litteras ostendit, in quibus erat, vti tuo mihi nomine salutem diceret. Longo abs te interuallo repetitam mentionem mei,

recordationémque veteris amicitiæ noſtræ gauiſus ſum: quam ne te priorem reuocare occupaſſe putes, ſcire debes antè me Rationarij Temporum, cuius ſecundam editionem inſtituimus, exemplar ad te miſiſſe; ídque illi ipſi Typographo noſtro mandaſſe, vt inter ſarcinas reponeret, quas Romam deſtinabat. Quas quia longo pòſt tempore, quàm hinc deuectæ ſunt, ad Vrbem peruenire conſtabat, tandiu ad te ſcribere diſtuli, dum ſuſpicari poſſem, librum illum ad tuas manus veniſſe. Hunc velim diligenter euoluas, & κριτικώτατον omne tuum acumen in eum explices; vt ſi quid ibi peccatum à me deprehenderis, de eo me certiorem facias; neque verecundia te vlla, aut amicitia noſtra deterreat; quin à me hanc gratiam ineas. qua nulla poteſt à te eſſe certior, mihíque iucundior. Scripſi ad Eminentiſſim. Patronum tuum Franciſcum Cardinalem Barberinum litterarum hac ætate perinde ac purpurati Collegij columen, cui tu velim quidquid iſtud eſt libri commendes. Vale. 1633.



EPISTOLA XLIX.

Mutio Vitellesco Societatis Iesu Præposito Generali, Romam.

AGNOSCO tuam in me verè paternam indulgentiam: dum quod iure tuo imperare poteras, id à me impetrare maluisti: ac tam ardenti Catholici Regis studio non cedendum putasti antea, quàm me certiorem faceres, meámque de tota re sententiam ac voluntatem cognosceres. Quod consilium de me tuum cùm est per sese mihi iucundum, tum eo gratius est, quod illud ipsum, quod sponte quisque in suapte caussa faceret, id mihi mandasti vltrò, vt si quod ad eam rem impedimentum haberem, id ingenuè profiterer, ac liberè. Ego verò, cùm duo sint, quæ in eam deliberationem incidere possunt, quorum alterum publicè, hoc est vel Prouinciæ nostræ, vel totius Gallicanę Societatis interest; alterum priuatim ad me pertinet: prius illud, ne vel inuidiosè aliquid de meipso dicere, vel de societatis in Gallia rebus timidè nimis augurari videar, omittam in præsens, ac superiorum nostrorum litteris ac prudentiæ reseruabo: alterum, quod modò agitur, ac nominatim requiris, quàm potero breuissimè, ac verissimè perscribam.

Scribis expeti me ab Catholico Rege, vt in

constitutis ab eo nuper Madriti scholis, publicè doceam. Magnifica res, & illustris, & quam plerique dissimili ac nos instituto vitæ, ac genere, non admittant modò libenter, sed vltro etiam arcessant. Mea verò, cur eam prouinciam defugiam ac detrectem, ratio est eiusmodi: quòd neque ab ingenio satis; & à corporis viribus nullo modo paratus sim, vt vel tam infinitæ de me expectationi satisfacere, vel peregrinationi isti, commorationíque tolerandæ idoneus esse possim. Corporis valetudo, quàm alioquin imbecilla mihi sit, testem habeo P. St. Charletum Assistentem: qui me Fixâ Lutetiam ad instaurandas scholas accitum, semel iterúmque grauissimo, ac lethali morbo propè consumptum meminit: ac biennio deinde toto lentâ & quotidianâ febriculâ iactatum, quæ me non antè dimisit, quàm in patriam de medicorum consilio profectus, paullatim me natiui, ac genitalis aëris haustu perfunderem. Quo ex tempore longè grauior quâ ex nephritide, quâ ex vesicæ calculo morbus accessit. atque hic imprimis; qui mihi persæpe non insuauem modò librorum, ac litterarum vsum; sed vitam etiam molestam, & eius optabilem terminum facit. Hic enim me demum exitus manet, & animo meo obuersatur in dies; vt vel acerbissimo cruciatu finienda propediem vita ista sit; cuiusmodi paucos ante annos Fronto Ducæus extinctus est: vel nihilo tolerabilior sectorum, chirurgorúmque carnificina subeunda. Hæc me assidua cogitatione versantem; hæc metuentem

in dies, horum curâ, & animi atque corporis ægritudine confectum, quos tandem animos ad istam ſcholarum Hiſpanienſium pompam allaturum eſſe confidis? In quo nec illud omittam quod xx propemodum annorum experientiâ didici: mihi, quamlibet incolumi ac vegeto corpore, non vltra ſemi horam ad perpetuam orationem vires vnquam, & latera ſuffeciſſe. Atqui publica in illa profeſſione legitimum horæ vnius tempus eſſe ſolet. quod me nulla ratione explere poſſe, ſanctiſſimè tibi prædico, ac denuncio. Accedit perfrequens ex bile languor, qui æſtibus potiſſimum, & caloribus irritatur, cuiuſmodi in Hiſpania, mihi quidem ingraueſcente præſertim ætate prorſus intolerabiles exiſtunt. Inde enim accidit, vt neque extra conſuetam cæli temperiem ſine morbo, ac vitæ periculo, diu perſeuerare poſſim, & quoties paulo longius iter pedibus facio: nam equorum, vehiculorúmque iactationem propter calculi moleſtiam perferre nequeo: continua febricula conflicter. Hæc, vt alia minutiora prætercam, quæ coram eloqui ſatius ſit, quàm in litteris iſtis ponere, me ab Hiſpanienſi illa profectione vehementiùs abſterrent; quæ cuiuſmodi ſint, Paternitati tuæ ſtatuendum relinquo. Ego quidquid de me decreueris, tanquam diuinitus editum oraculum libenti animo promptóque ſuſcipiam, & impigre conabor exequi. Vale.

EPISTOLA L.

Mutio Vitellesco Societatis Iesu Præposito Generali, Romam.

GEMINVM Paternitati tuæ huius anni fœtum offero; libros à me editos duos, quorum alter Operis de Doct. Temp. reliquias continet; hoc est scriptores aliquot Græcos maiori ex parte iam in lucem editos, quorum lectione ac testimonio multum in commentandis libris de Doct. Temp. fueram adiutus, quósque tum vnà edidissem, nisi maiorem in molem sane opus illud excresceret, veritus fuissem, ac satius ideo putassem in aliud differre tẽpus. quod mihi peropportunũ incidit, cùm aduersus Hispani cuiusdam IC. Diatribam, de qua ad te scripsimus, quædam generis eiusdem & argumenti publicaui. Alter non à me quidem editus neque nomine meo inscriptus; sed ex variis ac dissipatis partibus collectus Iuliani Cæsaris opera complectitur. Cuius scriptoris orationes varias partim ab aliis, partim à meipso ante plures annos in vulgus emissas auctore me Typographus in vnum redegit, atque vt hoc facerem, quod ante tredecim annos destinasse me audierat, Eminentiss. Card. Barberinus non semel est hortatus, ídque per Emin. Card. D. Bagnium à me petiit. cùm priùs Iuliani ipsius epi-

ſtolam adiungendam reliquis ad me miſiſſet. Qua voluntatis, humanitatíſque ſuæ ſignificatione cùm meipſum inſigniter; tum librum ſibi meum oppigneranit. Itaque recentem à prælo ſtatim Cardinali Bagnio (ſic enim hic fieri voluit) ad illum perferendum dedi, cum litteris, quibus ei gratias egi. Quod meum munus, ſi commendatio tua, vbi erit commodum, acceſſerit, longè illi fiet acceptius. Eſt in Eminentiſſimi Cardinalis Bagnij comitatu vir quidam optimus, & humaniſſimus, illi à ſecretis, cui à Turri nomen eſt. Is duobus illis libris, quos ad te mitto, inter ſarcinas ſuas locum dedit, ſéque tibi coram daturum recepit. quæ res mihi & iucundiſſima fuit, & magnam ſolicitudinem exemit. Quod reliquum eſt, neque enim pluribus interpellare opus habeo, enixè te rogo, me meáque vti fauore tuo, & apud communem Dominum, precibus tuis, & in ſacrificiis mentione aliqua proſequi digneris. Vale.

EPISTOLA LI.

Mutio Vitelleſco Societatis Ieſu Præpoſito Generali, Romam.

LIBROS Paternitati tuæ miſi nuper admodum duos, quorum alter reliquias Operis de Doctrina Temporum perſequitur, & au-

ctores aliquos continet, quibus in illo commẽtando ſumus adiuti, quorum editionem, quia moles operis nimium iam excreuerat, prorogandam putaui, déque eo lectorem admonui. Alter Iulianus eſt Imperator, cuius ſcripta ſparſim à nobis, vel ab aliis antea vulgata, quædam etiam hactenus non edita, in vnum conieci corpus: ídque hortante, ac propemodum iubente Eminentiſſ. Cardinali Barberino tandem effeci, cùm x v fere totos annos diſtuliſſem. Spero vtrumque tibi non ingratum fore munus, vtile id quidem publicè confido fore. Hoc verò ab Auenionenſi quodam iuuene accipies, qui Eminentiſſ. Card. Bagnio Apoſtolicæ ſedis apud Regem Chriſt. paulo antè Nuncio à ſecretis eſt, & vltrò ad id operam mihi ſuam detulit. Sed eos libros ſeriùs arbitror ad te eſſe venturos; quòd illorum iter moræ plurimum habiturum video. Interim alterum mitto munus, natum anni huius initio; carmen ſcilicet, quod in laudem Poëticorum Operum Sanct. D.N. Vrbani Pontif. ſcribere à te ſum iuſſus. Velim probari vobis induſtriam meam. animum certè quidem & obſequendi voluntatem, quæ me ad id genus lucubrationis ſola perpulit, alienum ætate noſtra, inſtitutíſque ſtudiis, quæ ad diuinam ſcripturam, ſanctóſque Patres, ac Theologiam vniuerſam transtuli. De quibus ſtudiis occupationibúſque noſtris habeo quod Paternitati tuæ ſignificem, & ad æquitatem tuam, humanitatémque confugiam. Ego poſtquam humaniores litteras profiteri deſij, ſacras

litteras cupidè ſum amplexus, in quibus decimum hunc annum Lutetiæ ita verſor, vt ad illarum tractationem, ſanctorum quoque Patrum vſum, ac ſtudium adiungere ſoleam: quæ me magnopere res oblectat. Sed habet hæc profeſſio offenſionis iſtud, quòd infrequentiores, & paſſim contemptæ iſtæ ſcholæ ſunt, omniúmque animos contētioſa ac rixoſa Theologia ad ſeſe rapiat. Quæ res docentis infringit animum, & quantumuis inuito & obnitenti tædium ſolet afferre. Huic incommodo, ſi quâ viâ poſſet occurri cùm perdiu apud me cogitaſſem, id vnum viſum eſt aptiſſimum, vt qui mos in Lugdunenſi prouincia iamdudum tenetur explicandæ ſcripturæ, in hac vrbe, aut etiam prouincia ſeruetur: nimirum vti moralis Theologia, ſiue Conſcientiæ caſus, vt vocant, & Scriptura ſacra alternis ſcholis explicentur; & ad vtramque ſocietatis noſtræ omnium annorum auditores conueniant. Ita enim Præceptorum faſtidium, & iſta quam dixi ſolitudo leuabitur. Neque graue id erit auditoribus, immo verò iucundius; & ad eas artes admittendas, quarum maiore affici tædio ſolent; moralis inquam Theologiæ, & ſcripturæ, multo vetere illo inſtituto commodius. Siquidem alternis vicibus diſtinctæ rerum illarum diſputationes vti fatigationis, ac moleſtiæ minus habituræ ſunt, ſic ad eorum animos faciliùs adhæreſcent, quos ex interuallo repetita magis, quàm aſſiduè inculcata delectant. Equidem ſi id nouum inuſitatúmque eſſet alibi, quod à te

postulo, dum è re esse communi & istorum vsu studiorum probare possem, impetratum iri non diffiderem. Non enim quicquid nouum, id quia nouum est repudiari iccirco debet: cùm ne vetus quidem esset aliquid, nisi nouum antea fuisset. Cùm verò & in aliis prouinciis olim receptum sit; & illis ipsis, quibus maximè consuli oportet, studiis vtile; & ab eorum professoribus optandum, immo necessarium sit: spero te & illorum omnium, quæ hactenus exposui, & mei quoque priuatim rationem aliquam esse ducturum. Vale.

EPISTOLA LII.

Mutio Vitellesco Societatis Iesu Præposito Generali, Romam.

NOVVM ante menses aliquot exemplar misi Rationarij Temporum; quod hîc à prælo recens exierat; non modò recognitum diligentiore cura; sed auctum etiam, & alio, quàm dudum, ordine confectum. Id quia tardiùs peruenturum esse Romam, tum superiorum annorum experientiâ didiceram; tum Typographus noster aiebat, cuius inter sarcinas reponi iusseram: minus tempestiuè has dedi litteras, quas quia commendando illi muneri destinabam, sic quasi comites, ac pedissequas, priùs ad vos aduentare nolui. Nunc cùm instare iam

tempus coniiciam, quo librum illum accipias, hanc epiſtolam ſcripſi, partim commendatricem vt dixi, munuſculi noſtri; partim ſtudij erga te obſequiíque mei teſtem; partim denique promerendarum apud Dominum precum tuarum, & ſacrificiorum conciliatricem, ac ſequeſtrem. Vale.

EPISTOLA LIII.

Mutio Vitelleſco Societatis Ieſu Præpoſito Generali, Romam.

NIHIL humanius fieri potuit litteris iſtis, quas nuper ad me P.T. dedit: quibus me Romam vt ad ſe venirem, & id quàm maximè meo commodo facerem, eſt hortata. quorum alterum in magni beneficij loco à pleriſque numerari ſolet, Romam vt omninò aſpirare liceat: alterum ſingularis in me cuiuſdam voluntatis habet, indulgentiæque non vulgare teſtimonium. Cui tam prolixæ in me beneuolentiæ, niſi quanta poſſum viciſſitudine amoris, ac grati animi reſpondeam: non illa ſolùm indignum me eſſe, ſed ne vita ipſa quidem me eſſe dignum exiſtimem. Sed quo prolixiori, ac liberaliori in me es animo: eò cauere diligentiùs debeo, ne quid eiuſmodi accidat culpâ diſſimulationéque meâ, cuius gratiâ tum te conſilij poſteà tui; tum me meæ profectionis pœniteat.

teat. Quamobrem statim atque litteras tuas accepi, P. Prouincialem conueni, déque eo quæsiui nunquid de me ad illũ scripsisses. Quod cùm negasset, coniecturam ex eo cepimus, non eam mihi profectioné præcisè absoluteque à te mandatam esse: sed deliberandi mihi, ac si quid aliter iudicarem, significandi copiam esse factam. Itaque de communi sententia placuit, vt sacrificiis, ac precibus commendata re Domino priùs; quidquid in mentem veniret, de quo te admonendum putarem, id impigre, & audacter exponerem Mihi verò sedulò in eam curam, ac cogitationem incumbẽti tum difficilis, tum plena periculi visa illa profectio est; quòd neque pedibus tantum itineris peragrare possum: & vehiculi perinde atque equi iactationem meritò pertimesco. Quod enim aliàs ad te scripseram, cùm de adeunda Hispania mecum ageres, haud obscura signa habeo latentis, & ad vesicam agglutinati calculi. qui quandiu stipatus istic hæret, mediocrem habet molestiam: idem si agitatione crebra, & succussatione reuulsus fuerit, intolerabilem afferet dolorem, ac planè mortiferũ. Hoc ipsum metuens, equitatione, ac vectatione præsertim longiore vti desij.

Accedit ad hanc caussam etiam altera non minùs grauis studiorum meorum. Nam Opus quoddam in manibus habeo Theologicorum dogmatum: in quo Theologicæ quæstiones omnes ex Scripturæ, veterúmque Patrum, & Conciliorum decretis, ac sententiis disputantur. Cuius iam primus Tomus affectus est,

& ad edendum propemodum paratus. Huius verò quod ſupereſt, neque Romæ perficere, neque alibi, quàm ibi, vbi cœptus eſt, niſi incredibili cum labore poſſum. propterea quòd ſchedæ omnes meæ, in quibus ſcriptorum locos adnotaui, certis Bibliothecæ noſtræ libris, ac librorum paginis reſpondent, partim excuſis, partim calamo exaratis, qui iidem, aut ſimilis formæ, editioníſve reperiri vix vſquam omnes poterunt. Ita de integro elucubrandi eius, quod iam confectum eſt, reſumendus erit labor. Hæc habui, quæ ſuper hac profectione mea tibi proponerem. Quæ ſi minùs probauero, ac ſi priore in ſententia perſeueres, in tua ero poteſtate; ac manibus, pedibúſque reptabo potiùs, quàm vt ſpem tuam fallam, quam de me in epiſtolæ tuæ initio poſuiſti, cùm te ſcire dixiſti apud me minoris eſſe cetera præ obedientiæ ſtudio. Expectabo igitur, dum nouis litteris, tum mihi, tum P. Prouinciali, quid ab vtroque fieri velis, explices: quod vt propediem facere digneris, etiam atque etiam precor. Vale.

EPISTOLA LIV.

Mutio Vitelleſco Societatis Ieſu Præpoſito Generali, Romam.

PRIMVM ego felicem tibi huius, quem inimus, anni curſum à Domino precor. Tum, vt mos eſt eodem tempore, quos caros habe-

mus, eos pro viribus, donis ac muſculis proſequi, idem apud te officium vſurpo; litterariúmque munus offero, Theologicorum meorum dogmatum Tomos tres à prælo recentes: in quibus Theologiæ partem illam complexus ſum, quæ de Deo, déque Angelis, & Opificio mundi diſputat. Quam quidem Diuinarum rerum tractationem, non vetere illa, & ſcholarum vſu trita via, ſum ingreſſus: ſed nouâ; & quod ſine inuidia dictum ſit, nullius adhuc veſtigiis impreſſa. Non enim ſubtilem illam, & obſcuris Philoſophiæ tricis inuolutā Theologiam institui: ſed ingenuam, & amœnam, ac de limpidis & natiuis Scripturarum, Conciliorum, Patrúmque veterum fontibus liquidiùs profluentem: eandémque non horridam, ac propè barbaram, ſed cultu quodam humanitatis hilaratam atque condîtam. Hoc ſi inſtitutum probabis, animos mihi ad reliqua facies, quæ pari induſtriâ, & Diuini Numinis fiduciâ proſequi ſtatui: ad ídque P. T. preces & ſacra ſolito enixiùs imploro. Vale.

EPISTOLA LV.

Franciſco Piccolomineo Societatis Ieſu Præpoſito Generali, Romam.

MAGNVM equidem ex R.P. Vincentij Carafæ obitu mœrorem ceperam, mihíque tecum, ac tota adeo Societate communem,

quòd & vir erat apprimè sanctus, & omnibus ad bene regendam Societatem necessariis præsidiis instructùs. Quamobrem incredibilis de eo spes excitata in omniũ erat animis, fore vt eo præside, societas nostra quàm optimo in statu constituta floreret. Verùm vbi de electa in eius locum P.T. ad nos fama peruenit, omnem illam animorum ægritudinem, velut nouæ lucis exortu, repentina hilaritas abstersit. Talem enim didicimus tanto viro subrogatum esse, qui nec dissimilibus virtutum ornatus esset insignibus: & iisdem persequendis vestigiis, quem nobis fructum ex eo pollicebamur, desiderari minimè pateretur. Faxit Deus, vt spem nostram, quæ est de te quanta potest esse maxima, non æquet res ipsa tantùm, sed etiam superet: ac per tot acerbitates temporum, velut fluctuum agitationes, nauis acta societatis, in tutela præstantissimi gubernatoris acquiescat. Vale.

EPISTOLA LVI.

Gaspari Geuartio V. Cl. Antuerpiam.

SERIVS aliquanto, quàm aut pro officio nostro, aut exspectatione fortasse tuâ, suauissimis, humanissimisque tuis litteris respondeo (Geuarti Vir Cl.) quod citra vllam tamen

iniuriam amicitiæ nostræ factum esse, tute ipse fatebere: cùm, cur factum sit, didiceris. Nam cùm amici cuiusdam tui commendandi gratiâ potissimùm ad me scripsisses; ac tuas ille litteras, neque mihi in manum dedisset ipse, neque cuius ad me opera peruenissent, diuinare possem: feci quod in ea re quiuis faceret, vt rescribendi tibi curam in hominis illius, si me aliquando conueniret, aduentum & colloquium differrem: vti si quid eius causa præstitissem, quod à me tu & illius pater (is enim vnà tecum ad me scripsit) magnopere flagitabatis; vtrique perscriberem. Verùm nescio quo modo contigit, vt & ad me hactenus ille non venerit; & ego, dum huic spei, opportunitatique præstolor in dies, longiùs processerim. Hæc non solùm excusandi mei causâ: sed vt illius etiam, qui mihi abs te commendatus est, patrem certiorem reddas, ad te scripsi. Nam ad illum tunc denique proprias dabo, cùm de eius filio, quod vnicum litterarum ipsius argumentum erat, aliquid extricauero.

Nunc ad epistolam tuam venio: in qua permihi iucunda primùm expectatio tua fuit operis nostri de Doctrina temporum, quod ante annos facilè quindecim susceptum, octodecim abhinc mensibus sub prælum habetur. Id verò propediem extabit. sed vereor vt exspectationem illam vestram sustinere possit.

De Gottifredo Vendelino scripsit nuper ad me Heribertus Rosuueydus noster, & libelli cuiusdam, qui etiamnum sub typis est, titulum

primámque plagulam misit *de obliquitate solis*: cetera pollicetur, vbi in lucem exierint. Sed mirifica est alterius, quod, vti narras, idem ille molitur, inscriptio: *Chaos temporum*, seu *vertigo opinionum de tempore orbis conditi.* tum alterum istud; *de Charactere Diluuij desinentis.* In his temporum cardinibus, propter & antiquitatem, & historiæ silentium, summa inest obscuritas: nec alibi diuinationum & coniecturarum impunitas maior. Sed quod illius institutum sit, tum sciemus denique, cùm eius liber prodierit.

De *Antonini vita*, cuius recensionem meditaris, gratulor: & vt bene vertat, precor. Est hîc iuuenis quidam Germanus, Hamburgensis, ex Lutherano Catholicus, vir litterarum istarum, quantum intelligere potui, apprimè peritus: qui de eiusdem libri castigatione, & editione, iamdudum cogitare se dicit. Sed maturum id illi esse non puto. Locum illum verò Nicephori, vbi M. Aurelij Antonini meminit, exscripsit, mihíque dedit Sirmondus noster, qui tibi salutem plurimam dicit. Huius ego schedulam his litteris adtexui. Deum precor, vt te tuáque omnia fortunet. Vale V. C. meâque, si qua in re commodare potest, operâ vtitor. Lutetiæ Parisiorum, Nonis Nouembris. CIↃIↃCXXVI. Andreæ Schotto, optimo & eruditissimo seni, salutem à me dicito.

EPISTOLA LVII.

Gaspari Geuartio V. Cl. Antuerpiam.

GRATVM tibi officium in te meum fore, sperabam equidem, & vt esset, optabam: tam valdę placiturum esse neque suspicatus eram; & ita cecidisse magnopere gaudeo, atque istud ipsum abundantiâ quadam factum humanitatis interpretor, vt quod leue est ac propemodum nullum; id non solùm agendâ, sed referendâ quoque gratiâ, magnum & illustre videri velles. At ego te vicissim de isto munere quod ad nos misisti, amo plurimum, & gratias habeo. quod idem & Sirmondus facit. Vendelinum tanti à vobis fieri, neque miror; & illius caussâ, valde me delectat. Scripsit ad me sanè quàm copiosas & eruditas litteras, certis de rebus, de quibus partim sciscitatus eram; partim eæ controuersæ inter nos erant, & dubiæ. Ad illas etiam vberiùs rescripsi. Et eiusmodi vir est; vt ex eius amicitiâ, doctrinâque magnum iam fructum ceperim, & maiorem postea capturum me esse confidam. Vale, Vir eruditissime, nósque (vti facis) ama semper, ac tuis apud communem Dominum precibus commenda. Lutetiæ Parisiorum VI. Kal. Mart. CIↃIↃCXXVIII.

EPISTOLA LVIII.

Gaspari Geuartio V. Cl. Antuerpiam.

NON obliuione sepultam, aut languentem apud me recordationem tui, sed spirantem adhuc, maiorem in modum excitarunt litteræ tuæ, & vt lætarer effecerunt: natam mihi hanc occasionem longo ad te interuallo scribendi, quod iam pridem facere debueram. Sed scis quàm fuissum ac difficile sit vsitatas ac perennes studiorum curas, & commentationes incidere, ac minimè necessariis de rebus obstrepere homini, & in eodem priuatarum occupationum genere, & in publicis tractandis negotiis assiduè defixo: qualem te esse, coniecturam ex illo munere facio, quod in illustri ciuitate splendidum geris. Verùm quoniam vltro tu me hoc officio prouocasti, vtar exemplo tuo, ac tibi vicissim incolumitatem ac salutem, & felicem, optatúmque ineuntis anni cursum imprecabor.

Non melius erit illis, qui otium interpellare tuum, & hostili stilo lacessere te ac vellicare sunt ausi. Sed quod de nouo tuo antagonista quæris; scire te volo, hominem esse laïcum, & coniugio implicatum, & alioqui probum ac pium. Quo fuit illius tota hac vrbe mirabilius & in-

opinatius factum, quando in N. leuiculâ de re, adeò intemperanter acerbéque commotus est: quod profectò nemini, ne amicorum quidem suorum, probare potuit. Sed non te præterit, quàm sit non vatum solùm, vt ille dixit, verùm etiam Criticorum genus irritabile; & horum fortasse, quàm illorum, crebriùs, ac vehementiùs. Mihi verò si credere vis, nolim qualecumque in te meritum illius est, impotentiùs in eum efferri te. qui si te nosset, moresque tuos, tecum aliter egisset, ac plus ille sibi, quàm tibi, publicam ad famam, commendationémque, detrimenti attulit. De tua erga se beneuolentia & Antitristani sui commendatione gratias agit tibi Iacobus Sirmondus, téque cum primis salutat. Scis opinor, ante mensem circiter vnum decessisse veterem tuum patronum Memmium, breui interuallo post fratris sui Auauxij obitum, quorum interitu duo Galliæ nostræ lumina sunt exstincta. Ea videlicet humanarum rerum conditio est, nihil vt in illis nisi mortale sit, & perpetuâ vicissitudine suspectum & anxium. Quo nos ardentiùs par est ad immortalem gestire cum Christo vitam, & eò cogitata omnia & consilia referre. Ita te sentire, itáque facere confido, & vt perpetuò sentias ac facias opto: meíque vicissim, apud communem Dominum, vt memineris, oro & obtestor. Vale. Lutetiæ Parisiorum Prid. Eid. Ian. CIƆIƆCLI.

EPISTOLA LIX.

Alberto Cicitio Societatis Iesu, Dilingam.

HERI me absente Mathematica tua Theoremata ad nos perlata sunt. Postridie conuenit me negotiator, ac si quid ad te vellem, quàm celerrimè maturare iussit: se enim eodem die profecturum. Itaque raptim hanc epistolam exaraui; vt hoc saltem tibi grati animi testimonium praeberem. Ago itaque gratias, & si qua re potero referre, deinceps enitar. Habebat idem ille nuncius à Laimanno nostro mandati nonnihil de libris suis, quos hîc excusos audierat. De qua re nihil hactenus scio. Dabo verò quamprimum operam, vt si possim, quod à me petiit confectum reddam. Hunc interim à me plurimum saluta. Vale.

EPISTOLA LX.

Stephano Menochio Societatis Iesu, Romam.

QVOQVO modo bene mereri de te licet, id ego pergratum habeo, & amplector

cupidè, permotus, & eruditione, quam singularem ex libris tuis comperi, & humanitate, quam multis testibus, ac prædicatoribus, iamdudum perspexi. Itaque quantumuis leue fuit, quod mihi nomine tuo Bagotius noster iniunxit, pro viribus exequi studui, vt de Commentariorum Biblicorum noua editione, cum Typographis nostris agerē. Ac quid principio actum à me sit, cùm primùm rem suscepi; ex iis litteris quibus statim Bagotio respondi, cognosces. Quid deinde fecerim, ex me ipse breuiter exponam. Cùm societatem inter se coiissent tres hac in vrbe librarij mercatores, de tuis aliorúmque commentariis recudendis; litem illis mouit Berterius, quòd Tirini se habere scholia ab illo recognita, & aucta diceret, quæ grandi sibi ære pepererat: & à Franciæ Cancellario eorum edendorum priuilegium impetrarat. Ea res societati illi moras iniecit. Tandem inter illos conuenit, vt in eam societatem quartus adscriberetur Berterius. Id nunc opus vrgetur prælo duplici, vt duo simul volumina cudantur. Quare sciscitanti mihi, velléntne tantisper cœpto supersedere operi, donec certiorem te de eorum consilio facerem, negarunt id sibi integrum esse: quòd operas iam cõductas haberent, quas si dimitterent vix recuperare postea possent. Itaque si quamprimum schedas tuas mitteres, se ex iis quod reliquum esset, planè vt velles persecuturos. Ex iis autem, quæ iam essent edita, quidquid noui adiectum foret, id se in vnum collectum, operis in fine posituros esse. Vale.

EPISTOLA LXI.

Terentio Alciato Societatis Iesu, Romam.

DVPLICITER me litteræ tuæ delectarunt (Eruditissime Alciate.) Nam & plenæ sunt ingenuitatis cuiusdam, ac candoris antiqui: & Christianâ modestiâ suffusum animum redolent, miniméque de se magna sentientem. Ingenuitatis id primum est, quòd contra quàm mos hodie est, fuco omni detracto, rectà me ac nomine meo appellare instituisti, nec per ambages titulorum, ac circuitus Reuerentię ac similium exorsus es, quę à vobis Italis nos Galli didicimus: cùm simplex, probum, ac Latinum sit, *tu, te, tuum,* dicere. Itaque te hac de caussa pluris facio, consuetudinémque tuam, & quoniam ita vis, familiaritatem. Quod mihi quidem amplum, & honorificum est: cùm eâ sis inter tuos Romanos auctoritate & gratiâ; vt non mediocri ornamento tua mihi sit amicitia futura. A me verò quid in te vicissim redundare possit, quo accessio tibi fiat aliqua dignitatis, equidem nihil video: neque cur tantopere id ambires, ac te adeo summitteres, caussa tibi vlla foret; nisi, quod alterum mihi in tuis litteris amabile visum esse dixi, tua te singularis animi moderatio, & ab omni aliena fastu

benignitas ad id esset hortata; cuius id proprium est, bene sentire de omnibus, & in iudicando, ac laudando esse liberalem. Hæc cùm dico, pudore te aliquo fortasse perfundo. Quod si facio; vicem tibi reddo laudationis illius, quâ me tuis in litteris nimis inuidiosè ac præter meritum decorasti. Quo vno illarum excepto capite, nihil iis mihi potuit esse iucundius. Neque verò me vt tibi conciliares sequestre vllo & interuentore opus habuisti. Vel ipsa leuissima voluntatis tuæ significatio, ad amorem tui, & quàm facillimam meî, mearúmque rerum omnium copiam tibi faciendam inflammare potuisset. Itaque sic de me habeas velim: postquam intellexi tanti id abs te fieri, & in quodam lucro poni; quod vel minimè petenti vltro deferendum à me foret, id omne tibi promptum ac paratum esse; quod quidem præstari ab homine potest, reipsa quidem minore, quàm est opinione tuâ: sed tamen & tui obseruantissimo, & officij amicitiæque cultore cum primis studioso. De Concilio Tridentino, gaudeo id tibi oneris impositum à maioribus fuisse. Non potuit, neque munus vllum dignius te, neque munere isto, quàm tu es, dignior adhiberi. Spero tibi laborem hunc ex voto successurum; ídque vt pro eo ac spero, ita vertat, Deum enixè precor: ac te, vt idem meâ caussâ facias, etiam atque etiam obtestor. Vale.

EPISTOLA LXII.

Terentio Alciato Societatis Iesu, Romam.

IAMDVDVM hîc rumor increbuerat, quatuor viros è fanctiori Cõfiftorio delectos esse ab S. D. N. qui de famoſo Arnaldi libro, eiúſque placitis ac decretis cognoſcerent, déque iis ad Conſilium poſtea referrent. Intellexi autem ex litteris tuis, agi potiſſimùm in præſenti de ea libri parte, in quâ de duobus Eccleſiæ capitibus diſputatur. Quo de argumento, quod à me petis, dicam breuiter: falſos omnes, & partim inſcitiâ, partim maleuolentiâ occæcatos eſſe, qui hoc ſcripto, vel ſermone diſſipant; aſſentiri me illorum opinioni, qui Petrum ac Paulum duo Eccleſiæ fuiſſe capita defendunt. Quam ſententiam prorſus ineptam, abſurdámque eſſe iudico. Nam etſi duos Romæ Epiſcopos vnus, quod ſciam, illos Epiphanius appellat: non ex eo tamen conſequens eſt, totidem Eccleſiæ totius capita fuiſſe. Etenim Apoſtoli omnes, totius Eccleſiæ Paſtores, & Epiſcopi fuerunt; hoc eſt, nullius loci finibus determinatam, & circumſcriptam poteſtatem, ac iuriſdictionem habuerunt. Quod in libris de Hierarchia, poſt Bellarminum, ceteróſque Catholicos, oſtendimus. Veruntamen & horum omnium,

& totius Ecclesiæ caput fuit Apostolus Petrus. Quæ vox capitis, non Apostolicam solùm, & Episcopalem functionem significat, sed eminentem præterea supra reliquos auctoritatis excellentiam: quæ ex voluntate Christi in vnum est collata Petrum Apostolum, ab eóque propagata est in successores deinceps Romanæ Vrbis Episcopos. Itaque capitis appellatio in vno Petro præter Apostolicam dignitatem, & Episcopalem, quam vtramque communem cum reliquis Apostolis obtinuit, prætérque principatum Collegij Apostolici, quem ei nominatim Christus detulit, hoc insuper habuit, vt quasi ordinaria potestas esset: hoc est, vt in successores Petri Romanos Præsules, eo mortuo, propagaretur. Quâ quidem prærogatiuâ ceterorum Apostolatus caruit: quibus extinctis summa est illa, quam in Christianos omnes gerebant, sublata potestas. Insulsi ergo sunt, ac litis, nouitatísque cupidiores, quàm veritatis, nuperi isti dogmatum consarcinatores, qui duorum capitũ fabulam commenti sunt; in qua refutanda, non est constituendum operæpretium: quòd & summi apud nos viri, ac doctissimi iam illud argumentum occuparunt: & ad illam refellendam, pauca illa, quæ attigi in præsentia sufficiunt. De me quidem, quod potissimùm rogasti, sic habeant qui ex te scire volunt quid de ea quæstione sentiam: nunquam me duo Ecclesiæ capita vel per somnium esse credidisse: &, vt paullo antè dixi, Episcopi nomen ab capitis vocabulo seiunxisse: quo-

rum alterum in Romana Ecclesia commune tribuit Epiphanius Apostolis duobus: quod ipsum nihil aliud interpretor, quàm auctores & fundatores ambos illius Ecclesiæ fuisse. Hanc meam de singulari Ecclesiæ capite veterem & constantem fuisse sententiam, tetrasticho teste confirmare possum: quod ante annos septem & viginti, cùm primæ Scholæ præessem hac in vrbe, inter poëtica opera nostra typis edidi de SS. Apostolorum Petri & Pauli festo die, ac martyrio: quod epigramma, quia non inuitis Musis & Gratiis excidisse mihi videtur, hîc tibi describam.

Cetera cùm similes fuerint, cur stipite fixus
Alter, at huic sæuo tollitur ense caput?
Nimirum caput ille orbis; capite hic minor vno:
Nec duo, nec nullum debuit esse caput.

Vale.

EPISTOLA LXIII.

Ioanni Bapt. Rossio Societatis Iesu, Romam.

OLIM tibi debitor eram non pecuniæ; sed, quod amplius est, gratiæ: quòd meâ caussâ tantum elaborasses, quantum ab veteri amico, & multis ac magnis beneficiis mihi deuincto vix sperare poteram, homo nulla re tibi, nisi communi societatis nomine conciliatus, & cognitus. Accessit ad officij cumulum

nuper

nuper etiam pecuniæ debitio; quam pro me in Mediolanenses librarios dependisti, qui Themistianas orationes ex vetere exemplari iussu meo describunt. ita enim mihi Bernard. Bragelonius suis litteris significauit: quas nouissimas affirmabat Roma dare se: quòd subinde ad nos in Galliam profecturus esset. Itaque monuit me, ne vllas Romam ad se ampliùs mitterem: sed ad te deinceps scriberem; quem quidem rogasset, vt illius quod reliquum est Mediolanensis negotij, exscriptionísque conficeret. Quoniam igitur hanc tibi curationem ex asse delegari passus es, pro tua caritate ac benignitate, feres me deinceps interpellatorem non minùs molestum: gratum quidem, ac tam prolixi in me studij, beneficiíque memorem. Atque hæc, duorum, quæ initio commemoraui, nominum prioris est solutio. De posteriore, quod est pecuniæ, simul atque resciui ex eiusdem litteris, egi cum Sebastiano Cramosio Typographo nostro, qui se ad Hermannum, vestratem Bibliopolam, quîcum ipsi negotium est, scripturum recepit, vti tibi quantum necesse est ad impensas eas, quæ iam factæ sunt, & quæ postea fient, pecuniæ suppeditet.

Scribit idem ad me Bragelonius ægrè tulisse te, ac Mediolanensibus illis exscriptoribus succensuisse, tum ob immanitatem pretij, tum quòd Orationes aliquot iam à me editas ex veteri codice descripsissent, contrà quàm inter nos conuenerat. atque ideo mandasse vt à scriben-

do superſederent, donec certius à nobis aliquid accepiſſes. Verùm peto abs te, vti ne intermitti patiaris operas, neque ſis de pecunia ſolicitus: quæ abunde vobis meâ fide ſuppeditabitur. Sed de eo velim iterum admoneantur, vt ne orationes illas deſcribant, quæ iam à me ſunt editæ. Quanquam pauca admodum ſuperſunt, ac non plures opinor tribus, aut quatuor. Velim autem, cùm ſchedas illas ad me mittes, faſciculo Cramoſij nomen inſcribas; qui ſe & ad te, & ad eum, quem antè nominaui Hermannum, de ſuppeditanda pecunia ſcripturum eſſe mihi promiſit. Vale.

EPISTOLA LXIV.

Ioanni Bapt. Roſſio Societatis Ieſu, Romam.

PLVRIMVM tibi debere me ſum profeſſus ſæpius: nec ſentiam aliter vnquam, præque me feram. Nam non vulgarem operam nauaſti mihi, vt quod ego maximè cupiebam, id effectum redderes; ac Themiſtianas mihi curares orationes illas, quæ magno flagitio iacebant in tenebris, nec ſe publico commodabant. Harum nuper ego quod erat reſiduum accepi: quo nomine gratias tibi immortales ago. Vnum illud dolebat, quod tam ſpiſsè, ac malignè ſuppeditatæ ſint vobis pecuniæ: de

quo egi cum Sebast. Cramosio; vt quamprimùm Hermanno vestrati Bibliopolæ mandaret, vti quod ex illa ratiuncula reliquum est totum dissolueret. Putaueram nihil deinceps defore, quo minùs ex asse vobis satisfieret. Sed lentum negotium est, præsertim vt sunt tempora, ab mercatoribus istis æs exprimere. Valebit illud ad augendam beneficij magnitudinem, quòd nonnulliò incommodo, ac molestiâ tuâ, tuorúmque, ita meritus de me fueris. Et memorem me profectò semper habiturus es: ac si nihil aliud tuâ caussâ vicissim queam; tibi saltem officio non deero, vt remuneratorem allegem vice meâ D. Iesum; à quo precibus, & quibus aliis potero modis, impetrare studebo, vt te suâ gratiâ, & sospitate perpetuò dignetur. Vale.

EPISTOLA LXV.

Athanasio Kirchero Societatis Jesu, Romam.

QVEM ad me librum misisti, accepi pridem; non Prodromum illum, de quo inter nos actùm est: sed alterum, in quo linguæ Copticæ Grammatica, & vocabularium continetur; doctum opus, & laboriosum, & ingenio tuo ac eruditione dignum. Hunc vt primùm aperui librum, fortè in supplementum incidi, siue disputationes de anno & men-

ſibus Copticis, & aliis eiuſdemmodi. Quæ cùm attentiùs legere ſtatuiſſem, & cum iis, quæ de eodem argumento commentatus olim fueram, conferre; quo accuratiùs meam de illis ſententiam perſcriberem, id quod cupere te mihi ſignificaras: diem ex die protrahi longiùs ſiui, quàm deſtinaram. Adeo multis inter hæc interpellantibus me curis ac negotiis, ab officij ſum curſu reuocatus. Hoc à te peto imprimis, vt ignoſcas: tum vt pro tanto munere, quàm ampliſſimas à me tibi gratias agi interim ſcias; dum haberi qualeſcunque occaſione datâ poterunt: poſtremò, quod facturum me ſignificaui, vt de anno Ægyptiaco & Sothiaco quædam adnotarem; id me per otium meditari, ac dudum intermiſſa recolere ſtudia iſta patiaris. Vale, mi Pater, méque in tuis numera, & communem pro me Dominum precare.

EPISTOLA LXVI.

N. Olyßiponem.

PVRGAREM me apud te, quòd ignotus, tantóque locorum interuallo diſtractus, ad ignotum ſcriberem: niſi eam vim caritatis eſſe ſcirem, vt alieniſſimos inter ſe mutua quadam officiorum ac voluntatum coniunctione ſociaret. Ac præterea, cauſſa mihi ad ſcribendum eſt eiuſmodi, nulla vt alia vel inuſitati conſilij,

vel audaciæ in interpellando meæ, excuſatio poſſit eſſe iuſtior. Quam quidem ego tibi breuiter exponam. Aurelianenſis cuiuſdam ciuis, popularis mei filius, paucis abhinc annis Pariſienſi mercatori, ac ſerici, vt opinor, inſtitori ſe in familiam dederat. Hic ſtatim Olyſſiponem, qua in vrbe negotiabatur, ad res ſuas procurandas iuuenem deſtinat. Qui cùm aliquot annos ita illic verſatus eſſet, vt fidem induſtriámque ſuam vehementer probaret, poſtea neſcio quid rumoris allatum eſt, agere interim res ſuas iuuenem, & in herili re tuenda & amplificanda, priuati quoque commodi rationem habuiſſe nonnullam. Quod verè an ſecus iactatum adeo mercatorem commouit, vt is in Luſitaniam pòſt paullo profectus ſit. Ibi quid egerit, neque reuerſus ille cuiquam ſignificauit, nec aliunde ſciri hactenus potuit. Scriptæ quidem paucos ante menſes ab adoleſcente ſunt litteræ, quibus ſuos admonebat, ne qua in re mercatori illi fidem adhiberent, néve illi quicquam concederent; ac ſe in reddendis rationibus ab illo eſſe circumuentum querebatur. Mercator interim Olyſſipone reuerſus, adoleſcentis parentibus vadimonium dicit, rémque ad capitalem cauſſam, & ad furti domeſtici crimen atque inuidiam trahit. Ex quo miræ hîc tragœdiæ concitatæ ſunt. Quamobrem cùm de adoleſcente certi nihil compertum foret; oratum ad me parentes iſtius venerunt, ſibi vt hac in re, quibus poſſem rationibus, opem afferrem.

Id se vnum in præsens optare, vt quas ad illum litteras scriberent tutò perferendas curarem: neque enim eiusmodi esse, cuiuis vt eas auderent committere. Fecit hæc illorum solicitudo, ac mea in te sociósque nostros fiducia, vt iis etiam ampliora pollicerer. Quorum vt fidem liberem, peto abs te maiorem in modum, ac precor, vt de iuuene illo, cuius nomen, ac domicilium ex litterarum, quæ ad eum datæ sunt, inscriptione scire poteris, inquiri iubeas, eíque ipsi tradi litteras, ac si qua in re potes, hortatu, consilio, auctoritate, omni ope denique peregrinum subleues; cum ea exceptione, quatenus id tuo commodo, atque ex Societatis more institutóque potest fieri. Quod si aut abest ille, aut nusquam comparet, litteras ad nos velim remittas. id enim à me parentes ipsi postularunt. Postremò quicquid iuueni vlla in re commodatum à vobis fuerit, id mihi præstitum arbitrabor.

Quoniam aliena in re, ac commendatione, parum me fortasse pudentem præbui: idem vt in meâ mihi caussâ liceat, etiam abs te contendo: si meâ hoc tamen priuatim interest, quod ad publicum fructum iamdudum à me comparatur. Cùm enim Opus quoddam de Doctrina Temporum aduersùs Iosephi Scaligeri commenta de Emendatione temporum, aliáque id genus, pridem susceperim, opus ad id fore mihi video, cùm alio rerum apparatu; tum variarum nationum Kalendariis ac Computis, Æthiopum præsertim, & Coptitarum,

tum Orientalium, vt Sinarum, Iaponum, Indorum, populorúmque ceterorum; quorum de annis magno ille conatu magnas nugas effutiit. Quas vt in reliquis facilè præstiti, sic in illis deprehendere, ac patefacere, sine propriorum cuiusque Kalendariorum adminiculo, non possum. Quare peto illud insuper; vt si quid à vestratibus, qui per illas regiones dispersi sunt, curari obtinerique potest, id mihi per litteras significes. Summa autem hæc rei est, vt propriam cuiusque nationis, anni formam, ac mensium dierúmque descriptionem: necnon & epochas, siue annorum initia: tum intercalationes, ac cetera quæ eodem spectant, Latinè quam fidelissimè ab illis perscripta mittantur. Hoc si impetrauero, magno me à vobis beneficio deuinctum putabo. Ac si quid est vicissim, in quo meam hîc operam desideres, strenuè id à me præstatum iri confide. Vale.

EPISTOLA LXVII.

PRIMVM hoc ad te scribo; à téque peto: quod & eo ipso maiori spe sum ad impetrandum. Hoc igitur postulo, vt queḿ inter discipulos tuos habes N. nó is quidem multo quàm nunc est cōmendatior sit: satis enim te scio, ad id quod officij tui est sponte tua concitatum, monitore, vel suffragatore neutiquam habere opus: sed vt fidem de illo meam, & auctoritatem, quam

in me nonnullam, ad eam rem esse suspicati sunt, apud eius parentes liberes: præ téque feras, aliquid procuratione nostra esse perfectum. Nosti quàm sit hominum eiusmodi improba, & superuacanea plerumque sedulitas. Ea fecit, vt id à me, quod vel officio ipso debitum putant, magni beneficij loco peterent, ad te vt accuratissimè ea de re perscriberem. Dedi hoc non tam illorum precibus, non tam propinquitati ac sanguini, quàm sanctiori cuidam in Christo necessitati nostræ: vt quanto ea nos arctiùs, quàm natura ipsa copularet ex eo periculum facerent, quod postulatione mea impetratum viderent. Hoc vt reipsa ex votóque succedat, dabis, mi frater, operam, non tam acriori in illius profectu curando operâ ac solicitudine, ad quam nihil fortasse potest adiici, quàm genere quodam significationis: quæ, cùm infinitè pateat, nihil certi tibi petitione mea præscribo. Hoc vnum rogo, vt quantum secundùm Deum caussâ meâ velis, hac vna in re demonstres. Vale.

EPISTOLA LXVIII.

QVAM te ratio tua fefellerit vides; qui vacationum tempus, quo ad me scriberes, elegisse te eo consilio scripsisti, vt otij plus ad respondendum haberem; quòd per reliqui temporis occupationes minùs id possem facere.

Atqui totum tibi ſpatium illud vacuum litteris meis abiit. non quo tui me tædium, aut obliuio ceperit; cuius amorem cum perpetua recordatione ſanctiſſimum habeo: ſed quod neque mẽſis vllus vnquam impeditior mihi ſuperiore iſto fuit; & vixdum conſtitutâ tibi habitatiunculâ, paullíſper differendam reſponſionem putarem; dum tu fixo in loco, ac velut certa ſtatione conſtitiſſes. Quam quidem inter conuictores tibi contigiſſe; tum tuâ, tum illorum cauſſâ gratulor. tuâ, quòd hanc aſſidui in Philoſophia laboris, contentioníſque non infructuoſam intermiſſionem nactus es: illorum verò gratiâ; quòd vſu, inſtitutionéque tuâ, haud paullo meliores fore confido; ſi tu is eſſe pergis, quem & fuiſſe cognoui hactenus; & futurum eſſe deinceps auguror. De N. quem tibi contubernalem eſſe gaudeo, omnia tibi polliceri potes; quæ & ab adoleſcente optimo; & ab tui peramante, & non imperito, expectari officia ſolent: quæ vt ab eo quàm in te maxima ſint; commendatione mea perficiam. Vnum eſt, quod abs te viciſſim contendo, vti mei perpetuò ſis memor, ac me tuis apud communem Dominum precibus quàm diligentiſſimè commendes. Vale.



EPISTOLA LXIX.

Francisco Hardisio Societatis Iesu,

SIc quasi ad Areopagitam habendus mihi sermo, non ad te scribenda epistola sit, ita sine vlla exordij pompa, postulatis tuis quambreuissimè satisfaciam. De Ciceronis lectione probo consilium tuum. Nihil vtilius persequi modò potes, quàm quod facis; vti stilum tuum illius suauitate elegantiâque condias; sic quasi oleo, vel vnguento, cutis tuæ scabritiem detergas ac lenias. Eodem & Elegiaci carminis studium pertinebit. Est enim molle ac tractabile genus & insitæ tibi grandiloquentiæ depascendæ istud, quàm tragicum illud, aptius. Ne te tamen nimium demittas atque ex Audaci, timidus, & χαμαιπετὴς aliquando fias, τραγῳδεῖν funditus non veto: sed caue διθυραμβῶδες inde aliquid ex consuetudine in orationem tuam deriues. Laudo argumenta, quæ tu tibi selegisti. Ad Græca quod attinet, grammaticis te præceptis sufficí antea cupio, atque ad obrussam nostram, cuius te oblitum non puto, penitus exigi: postea in legendis scriptoribus diu, multúmque volutari. Neque tamen Græcæ scriptionis vsum funditus omittes. Vtrumque igitur ita temperabis, pluscu-lum vti lectioni, quàm scriptioni tribuas; immo illud assiduè, hoc interdum adhibeas.

His à te quæstiunculis petitus, vicissim te vnâ,

& perbreui lacessam. Me puero frequens erat in patria rumor, N. Ministelli patrem in NN. familia Monachum fuisse. Id cùm ei à viris primariis obiectum sit, acerrimè ille negat, & in nupero libro, quem cõtra Cardin. Peronij Opus edidit, falsum id esse quouis pignore contendit. Ego dum in eam rem attentiùs inquirerẽ, certis auctoribus comperi, prorsus in N. Cœnobio, inter monachos, illius patrem meruisse. Tu velim rem subodorère: sed cunctanter atque è longinquo arcessito sermone, velut aliud agens istud exprimas. Tum vbi homines calefeceris, acriùs deinde vestiges, eòque perducas, vt, si fieri potest, priuatis è Cœnobij tabulis aliquid elicias. Hoc si strenuè, nauitérque perfeceris, magno me tibi beneficio deuinctum putabo. Vale.

EPISTOLA LXX.

GRATISSIMA mihi fuit epistola tua ab ea parte, quam fortasse vix suspicère. nam tu id alterius caussâ, & obiter iniecisti. Hoc enim scribis, conualuisse te penitus ex ea febricula, quæ plus aliquanto fastidij habebat, quàm doloris, aut periculi. Ideo verò putas accidisse, quòd cælo istic vtare salubri & commodo, mirificéque naturam ad tuam facto. Hęc pauca obiter, vt dixi, ex occasione iacta ampliùs me opinione tua delectarunt. non solùm quia te amo, & bene tibi, atque ex animi tui sententia

euenisse gaudeo; sed etiam præterea cogitantem, quàm suauiter, vtilitérque consulat rebus nostris Diuina prouidentia, dum ad eius nutum, hoc est, maiorum arbitrium nos fingimus. quod vtrique nostrûm documento esse potest; nullam eo certius ad animi securitatem, & salutem iter esse, quàm quod tenere cœpisti; vt illinc totus in omni tua vita pendeas. Cætera epistolæ tuæ non minùs iocunda fuerunt. Vel stilus ipse, quantum habet nitoris & elegantiæ! cuiusmodi te consectari genus in dicendo, ac scribendo, maximè cupio, & vt volo, in spe iam esse, quia testes habeo litteras tuas, equidem gratulor. Neque verò pluribus hortandus mihi es; neque quâ te viâ peruenire illûc oporteat, accuratiùs es docendus. Habes enim quæ id meâ vice faciat, illam methodum, quam ad gubernanda Nostrorum studia olim dictaueram: quam si decem adhibeas, næ tu litteris istius generis nostris ac præceptis carere potes. Quicquid autem in specimen ad me miseris, quod esse perbreue è re nostrûm vtriusque sit (Nam neque te temporis in describendo placet iacturam facere; & ego quo breuiora erunt, quæ ad me mittes, faciliùs, accuratiúsque recognoscam) id ego perlibenter videbo. Nam nemo viuit hodie, qui aut voluntate quàm ego, maiore sit erga te; aut profectus in his litteris tui cupidior sit: aut eius ipsius vehementiorem spem, expectationémque ceperit. quæ ne nos aliquando fallat, cùm est tibi omni studio laborandum: tum me quoque pro virili parte

iuuare te, nitíque conuenit. Vale mi frater, ac meo nomine Patres fratrésque nostros saluta.

EPISTOLA LXXI.

NIsi bene noti inuicem essemus, succensere te mihi, me apud te diligentiùs excusare par esset; quòd nullas ad hanc diem litteras, ne tuis quidem aliquot acceptis, ad te scripserim. Verùm tarditati huic facilè veniam dabis, neque cùm de animo, ac voluntate, certò scias, de huius qualicumque significatione tricari voles. Ego me iamdudum in ære tuo esse video, nec ad nomen respondisse. Sed profectò tam multa me officio isti præuertere oportuit, vt de die in diem protrudenda illius recordatio fuerit. Ac quod ad te modò perbreuem hanc epistolam exarem, victus pudore feci, vt de necessario tempore particulam aliquam suffurarer, quam tibi imputare possem, ne pleno, summóque mecum iure contenderes. Venio ad te, quem passis velis in quæ studia iampridem ingressus es, in iis cursum tenere video, ac mirificè gratulor. Omnino quod superest curriculi huius (Nam propè te iam metas spectare puto) in Græcis consumendum tibi censeo: vt quàm-maximam illius linguæ copiam in annos consequentes repositam habeas. Tametsi non multum vacui tibi temporis ab scenico apparatu, & choragio

reliquum fore prouideo: quod te propediem occupatum tenebit. Sed enitere quantum potes, vt tibi ipse non desis, & vt temporis illius, sic quasi ex naufragio reliquias colligas. Plurimum interest, bene paratum ab illo commeatu in Theologicum te mare committere. Vale.

EPISTOLA LXXII.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

MIROR quid tibi nescio quo fasciculo velis, quem allatum ex Hispania, & à veredario receptum à me esse, postremis litteris scripsisti. Equidem ex Hispania nihil à quoquam accepi: neque quid istud rei sit prorsus intelligo. Enitar tamen, & si qua re potero, tibi non deero. De officio nominis Iesu rem confeci, ac tria exempla misi. Cuiusmodi autem sit istud nescio: neque enim hactenus videram. Edita sunt nuperrimè Samuelis Petiti Critica quædam Miscellanea: quæ nisi ad vos perlata crederem, aut si ea cupere te cognoscerem, eâdem operâ misissem. Expectabo quid super hac re significes. Gratum est quod de remissa istic persecutione subiicis. Vtinam ex integro conquiescat; ac tam litteris, quàm Catholicæ religioni, sua pax & auctoritas constet.

Scripserat ad me nuperrimè N. de duobus

liberis mercatoris Antuerpiensis: de quibus, quia dudum eos non videram, nihil tum certi potui rescribere. Nunc quid agant, & quo in statu res illorum operâ meâ, & consilio constitutæ sint, meliùs ex illorum litteris, quas se daturos esse dixerunt, quàm ex meis, eorum parentes intelligent.

Cùm ad me litteras dabis, pretium integris litteris inscribe, quod tabellariis repræsentari solet. Nam ipsimet enorme scribunt, & exigunt. Ac, si me audis, per amicos potissimum mittes, quorum frequens vltro citróque profectio est. Ego me sacris & precibus tuis enixè commendo. Lut. Paris. VII. Cal. Maias CIↃIↃCXXX.

EPISTOLA LXXIII.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

De rana vestrate nondum audiueram: neque me verò ad omnes omnium strepitus commoueri attinet. Sic enim breui σφηκιὰν in me totam concitauero. Ita facti sunt plerique, vt id etiam gloriæ sibi esse ducant, aliis negotium facere, vicissim vt habeant ipsi, & in aliquo esse numero videantur: quorum si latratus contempseris, plus tibi quietis, illis molestiæ pepereris. In horum grege Hispanus ille haberi debuit, cui in Vranologio nostro nuper

occurrimus. Sed eius tamen cur nonnulla iſtic ratio ducta ſit, quarti illius Operis libri Præfatio docebit. Εἰ δέ τι καὶ ἄξιον λόγου coaxauerit ὁ ἔλεγχος veſter, ἐμοὶ μελήσει ſtatim ac videre potuero. de quo Cramoſium rogauimus. Delrium veſtrum nuper ſtrenuè vſi ſumus, aduerſùs imperiti Grammatici proteruiam, qui in Solinianis commentariis illum ſibi veluti ſcopum propoſuerat conuiciorum, ac maledictorum omnium; quem, vti à nobis edoctus eſt, deinceps in aliis inſectandis moderatiorem, ac ſui minùs amantem confido fore. De Theodoro Studita nihil eſt quòd multum labores. Habet omnes, exceptis pauciſſimis, orationes illius Sirmondus noſter, neque mihi ad iſta animum adiicere otium eſt in præſenti. De Dionyſio Areopagita memini me ad Roſuueydum aliàs ſcribere. neque ſententiam muto. Vale mi Pater, ac pro me Deum precare. Lutetiæ Pariſ. XIII. Cal. Dec. CIƆIƆCXXX.

EPISTOLA LXXIV.

Joanni Bollando Societatis Ieſu, Antuerpiam.

SERIVS poſtremis tuis litteris reſpondeo; quod tum, cùm eas accepi, nouum librum ſub prælo adhuc habebam, quem meis litteris comitem adiungere cupiebam. Hunc ego Rationa-

tionarium temporum inſcripſi: in quem ſacras omnes, & profanas hiſtorias congeſſi, Chronologicis munitas rationibus, & inſtructas; nihil vt ἀλόγως & ἀμαρτύρως vel à me dicatur; vel ſciri ab lectoribus putetur. Quod in Turſellini Epitome neceſſe eſt accidere. Itaque nihilo plus illa, quàm index aliquis, vel ſummarum rerum catalogus, hiſtoriæ ſtudioſos adiuuat. Hoc igitur munuſculum, & ξένιον à nobis accipies pro ſcitis illis imaginibus, quas ad me miſiſti. Reliqua, quæ erant in epiſtola tua, ſedulò curaui: de quibus iam te certiorem factum eſſe confido. Id enim in ſe Cramoſius receperat: qui & Rationarium ad te noſtrum miſiſſe ſe dicit. Vale. Lutetiæ Pariſiorum 8. Cal. Mart. 1633.

EPISTOLA LXXV.

Ioanni Bollando Societatis Ieſu, Antuerpiam.

NOLO putes me, deonerandi mei gratiâ, neſcio quid de pecuniola veſtra ieciſſe poſtremis meis litteris; tanquam eam à me curationem abiudicare voluerim. Ita enim ſuſpicari te ex iis, quas ad ſe dederas, mihi Talbotius noſter proximè ſignificauit. Ego verò quidquid ea de re ſcripſi, feci ideò, quòd iamdudum otioſam illam haberem; neque, vt ſole-

bas, libros eâ comparari tibi ampliùs peteres. Quare oblitum illius esse credideram. Nunc, postquam secùs rem habere didici, nolo ea de caussa quenquam adhibeas alterum; quòd ne molesta mihi administratio ista sit, vereri te dicas. Nam non est: nec, si esset, non & hanc, & hac multo grauiorem etiam, tuâ causâ perferre cuperem. Pergam igitur, vti cœperam; nisi fortè aliter tuâ interesse iudicabis. Rationarium nostrum non iniucundum fuisse vobis, admodum gaudeo. Magnis itidem hîc, & in reliqua Gallia, studiis hominum exceptum est. Quare prima iam editio propè est exhausta: cùm non minus mille & quingentis vænierit: vt iam de secunda cogitemus. Quercetano, ac Talbotio litteras tuas dedi. Libellum de Vita Sancti illius, quem à me petiisti, mandaui Cramosio nostro, mihi vt diligenter conquireret. Eum simul accepero ad te mittã. Quod ad illas Cenomanorum Antiquitates attinet, ab Ioanne Moreau perscriptas, nondum eæ sunt editæ: sed in schedis illas legerat, quisquis eas citauit. Vale, mi Pater, ac me sacris & precibus tuis commendatum habe. Bucherio à me salutem: cuius Cyclum, simul extabit, videre cupio. Synesium denuò typis commissum, ac luculentis accessionibus illustriorem redditum, tibi offero. Multa in Notas retuli, quæ ad Ecclesiasticas antiquitates pertinent, quorum non ingratam vobis lectionem confido fore. Lutetiæ Parisiorum III. Eid. Ap. CIƆIƆCXXXIII.

EPISTOLA LXXVI.

Joanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

QVAS ad me litteras misisti, Colonia datas à Kinckio, iis quam-primum potui rescripsi; ac te precor, vti has ipsas Coloniam perferendas cures; nisi aliâ id viâ Cramosius noster, cui illas tradidi, fortè perfecerit. Optabat Rationarium nostrum meo permissu illic edere: de quo me priùs ab eo monitum esse, quàm sumptus istos faceret, non tam meâ, quàm illius causâ gaudeo. Nos enim alteram editionem ante menses aliquot anteuertimus; quæ propediem existet. Hoc eum latere nolui. Nam multo priore illa erit accuratior, & vberior. Accepi iamdudum à Mirço tabulam Itinerariã: Bucherij Cyclum Victorinum hactenus non vidi; quem tamen prostare mercalem apud vos audio. Eum velim mihi compares, & ad Cramosium mittas, meo inscriptum nomine. Ego quidquid insumpseris, statim redhibebo. Sirmondus te resalutat, ac felicem eum, qui instat, annum vicissim apprecatur: quod ego, iuxtà atque ille, facio; méque tuis sacris ac precibus commendo. Lut. Paris. IV. Cal. Ian. CIƆIƆCXXXIII.

EPISTOLA LXXVII.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

LITTERAS tuas accepi cum munuſculo; de quibus maximam habeo tibi gratiam. Marcellus ille, cui, tanquam hîc eſſet, inſcriptus erat faſciculus, iamdudum hinc abiit: éſtque modò Catalauni. Itaque, quoniam ſuccidaneum ibi nomen erat meum, reſignaui faſciculum, & quò quæque mittebatur epiſtola, eò ſingulas allegaui. Sirmondus eodem, quo ego, iure tibi gratias agit. Quercetanus, ad quem ſcripſiſti, litteras ad te dedit; quas cum his noſtris accipies. Plurimum me tuis ſacrificiis ac precibus commendatum eſſe cupio. Lut. Pariſ. 17. Cal. Febr. 1633.

EPISTOLA LXXVIII.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

MIROR ad vos nondum perueniſſe Syneſium noſtrum; de quo cùm typographum, cui id dederam negotij, percontarer, il-

le se iamdudum misisse dixit. Nolim eandem esse fortunam Rationarij nostri; cuius exemplaria mitto duo: alterum tibi, Auberto Miræo alterum. Huius est editio noua prorsus, & multis partibus auctior, in qua quid mutatum sit, quibúsque de caussis, rationem reddidi in Præfatione nostra. Bucherij Doctrina Temporum, quam is ad me misit, accepi, ad eúmque scripsi. Multa in eo libro sunt, de quibus aliter atque ille, sentio. Nam pleraque, quæ illîc attigit, à me pertractata fuerant in libris de Doctrina Temporum, & in Animaduersionibus ad Epiphanium. Tertullianum à se recognitum nuper hîc publicauit Rigaltius: quem si nondum habes, itáque iubes, ære illo, quod habeo penes me, comparabo, ad téque mittam. Vossij liber de historia Pelagianorum, quem ante annos aliquot legi, reperiri hac in vrbe non potest. Hic si apud vos est; velim quoquo pretio redemptum ad me mittas. Vale, mi Pater, ac pro me communem Dominum precare. Lut. Paris. Maij 13. 1634.

EPISTOLA LXXIX.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

SCRIPSIT ad me nuper V. Cl. Mænardus Andegauensis, & quæ ab illo tuâ caus-

sâ postulaueram, cumulatissimè perfecit. Nam & vitam S. Girardi Monachi, velut in specimen misit, & indiculum prætereа vitarum quas 12. voluminibus comprehensas habet; vt ex illis seligas, quas exscribi cupias. Huic enim significaui, vti ne sumptibus parceret, atque vt quidquid pecuniæ opus esset, id à Procuratore Fixensis Collegij peteret. Accipies igitur schedas istas, & si quid ex illo Vitarum Catalogo describi tibi velis, ad me scribes. Petrasanctium nostrum hac iter habentem, vti rogaueras, quàm potui humanissimè suscepi; eíque, quantum tuâ caussâ vellem, indicare studui. De sex illis exemplaribus Exercitiorum, quæ mihi dono dedisti, habeo gratiam. Vellem & libri de Gestis Pelagianorum copiam alicunde posses habere, eúmque nullo tuo incommodo ad me mitteres. Nam nullum hîc venalem inuenire possum. Id eo scribo, non vt cuiquam molestus sim; sed vt, si fortè in eum librum incidas, emere ne graueris; ego quidquid erit pretij, rependi curabo. Rationarij nostri tertia iam adornatur editio, interim dum Colonienses nouam instituunt, quam in Francofurtensi Catalogo profitentur. Ego me tuis sacrificiis ac precibus enixè commendo. Lut. Paris. 6. Ian. 1635.



EPISTOLA LXXX.

Joanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

QVESTVS est nuper apud me Berterius, huius vrbis negotiator librarius, is qui ante biennium Antuerpiam profectus est, & te meo nomine salutauit, cùm ibi esset, haud modicam se pecuniam cuidam viduæ numerasse, hortante, ac propè fideiubente te, vt pro illa libros ad se aliquos mitteret. Ex eo verò tempore nihil se ab illa vel pactarum mercium, vel responsi elicere potuisse: tametsi sæpius litteras ad eam miserit, quas certò sciat ab iis, quibus tradiderat, in manum illi datas fuisse. Quæ res profectò valde me mouet, quòd fidem illîc & auctoritatem tuam, quâ solâ adductus, cum muliere ista transegisse se dicit, periclitari videam. Quocirca plurimùm te rogo, vt hoc negotium, quàm celerrimè, & quàm minimo strepitu confici cures, ac feminam istam iuris officiíque sui commoneas; atque vt pacificè potiùs, & saluâ concordiâ decidi rem velit, quàm ad lites, ac tricas forenses deduci. De cetero scire te velim Opus nostrum Theologicum iam propè ad exitum peruenisse; ac propediem me ad vos esse missurum. De eo verò, quod iampridem inchoasti, certi aliquid expecto. Diu enim est, quòd inter nos mutuæ litteræ cessarũt. Vale,

mi Pater, & communem pro me Dominum precare. Lut. Parif Iun. 13. 1643.

EPISTOLA LXXXI.

Ioanni Bellando Societatis Iesu, Antuerpiam.

ACcepi nuper admodum libros duos, quos ad me misisti à prælo recentes, sine vllis tamen litteris. Præclarum opus, & dignum eruditione tua, & expectatione Catholici orbis, ac spe illa, quam de eo pij ac docti omnes olim conceperant. Equidem totum illud iam studio, ac voluntate deuoraui; legámque, vbi otium ero nactus, attentè. Nunc perfunctum me graui, ac diuturnâ operâ, aliæ super aliis occupationes exceperunt, de quibus scribam ad te propediem. Interim mitto vicissim Tomos tres Theologicorum dogmatum nostrorum. In his multa contra Caluinianam hæresim, quam Iansenius nouissimè ab inferis excitauit: maximè de Libero arbitrio. Spero hunc laborem nostrum non ingratum fore Catholicis omnibus; vtilem quidem esse cupio. De eo quid vestrates Iansenio nimiùm addicti iudicaturi sint, sciam si certiorem me facere dignaberis: quod à te enixè postulo, méque precibus tuis & sacrificiis tuis commendo. Vale. Scripsi hæc noctu properans 12. Nouemb. 1643.

EPISTOLA LXXXII.

Joanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

DIVTVRNVM inter nos litterarum hucusque silentium fuit : credo, quòd noui interim nihil accidit, de quo scribendum vterque putaremus. Id quia mihi contigit modò, prior ecce breui sermone silentia rumpo : ac salutem imprimis tibi dico plurimam. tum hoc enixè abs te postulo, vt adolescentem illum, à quo has nostras accipies, cùm ipsius merito, tum commendatione nostrâ, benignè & amanter excipias. Qui sit, quibúsve de caussis eam ad vos profectionem instituerit : ex ipso meliùs intelliges. Pergratum mihi facies, si quibus poteris, officiis, quæ quidem minimè esse molesta velim, illum tibi complectendum meâ caussâ fidéque sumpseris. De Vendelino nihil iamdudum audio. Quid eo factum sit, & vtrum Romam ierit, quó Cardinali Bagnio condixerat, scire aueo. Precibus ac sacrificiis tuis valdę commendari cupio.



EPISTOLA LXXXIII.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

MAGNAM habeo tibi gratiam de tam prolixo in me studio, benéque merendi voluntate, quam repetita identidem officia testantur. Vel postremum hoc quàm mihi iucundum accidit! quòd vltrò me libro illo munerasti, quem videre, ac legere meâ plurimum interfit. Hunc etsi nondum acceperim: tamen, quòd eum ad me misisti, pro accepto iam habeo, eóque tibi nomine debitorem me esse profiteor. Sed inquire obsecro, num Rhotomagum, quò destinatus erat, peruectus fuerit. Nimis enim magna intercessisse mora videtur: nisi me auiditas mea fallit, scire cupientem quid in mala caussa tuenda, contra veritatem, & Catholicam fidem, peruicacis, & contentiosi hominis industria valeat. Quem quidem augurot conuiciis, ac maledictis, quorum larga est Iansenianorum natio, in me, ac Ricardum efferbuisse. Quod de Opusculis Baij scribis; (Nam Fromondi, quæ percenses, offérsque, penes me habeo) velim, si est eorum apud vos copia, mittas ad me. Iampridem enim legere cupio: nec parum interest, à me illa non ignorari, quod illic nouæ, ac pestilentis sectæ

iacta esse fundamenta, complures asserunt. Mitte autem, si id commodum est, per fidos, & amicos homines, ne in transuectione, vt sæpe euenit, intercidant. Mihi nunc præ manibus est Theologicorum Dogmatum Tomus quartus, de Incarnatione; & is maiori ex parte iam absolutus. Sunt & alia minuta Opuscula; quæ simul edita erunt, ad te mittam. Vale. Lutetiæ Parisiorum Iunij 15. 1647.

EPISTOLA LXXXIV.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

ADHVC Vincentium Lenem expectamus; nec dum de eo certi aliquid accepimus. Id adeo negligentiâ factum est eorum, qui illum ad me per minimè idoneos homines miserunt. Deinceps itaque, si quid tutò ad me perferri velis, Mursio committe, qui id in sarcinas inculcet, quas ad Cramosium identidem destinat. Sic enim oportere fieri, mihi Cramosius ipse significauit. Quod autem postremis tuis ostendebas, te libros aliquot partim Iansenianorum, partim Baij, missurum esse, si ita cuperem: respondi iam, de Iansenianis nihil oportere esse te solicitum: penes nos enim illos omnes esse, quos in epistola tua percenses: at Baij opuscula nec vidisse me hactenus, nec

eorum hîc esse copiam. Quare magnopere illa legere, si fieri potest, expeto. Vbi Vincentium Lenem accepero, experiar quid tandem hominis sit, & quantum nomini suo respondeat. Equidem, vt est Iansenianæ istius nationis indoles, non puto lenem, ac ciuili in me animo fore: sed asperum, truculentum; conuiciorum, & inclementium dictorum oppidò liberalem. Doctor Ricardus te resalutat, itidémque, vt ego, molestè fert, iacturam libri istius, quem magno redemptum velimus. Ego me sacrificiis ac precibus tuis apprimè commendo. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Iunij 26. 1647.

EPISTOLA LXXXV.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

ELENCHVM Theriacæ Vinçentij Lenis, nouissimæ feturæ opus à me vulgatum ad te mitto. In quo spero id me consecutum, quod in eo elaborando spectaueram; vt & quàm poteram breuissimè, & accuratè tamen, ad ea responderem, quæ ab illo mihi obiecta fuerant pro Iprensi Armacano. Sic autem cum Doctore Ricardo operam partitus sum, vt ea duntaxat refellerem, quæ priuatim ad me pertinebant: quæ verò ad illum præcipuè attinent; ea ipsi confutanda relinquerem. Quod

ab eo ſtrenuè factum eſſe, teſtis erit liber; quem opinor miſiſſe illum tibi, paullo quidem meo craſſiorem. Nam plura in Ricardum, quàm in me Theriaca continebat. Non erat ſanè, quòd in tam inſulſo, & inficeto libro excutiendo temporis aliquanti iacturam facerem. Verùm tanti fuit primum in me Ianſenianæ manus impetum factum fortiter excipere; & quid à me deinceps expectare deberent, in ea proluſione ſpecimen illis dare. Habeo iam affectum aliud Opuſculum de Lege Moſaïca, & gratia; in quo arcem peto factioſæ illius nouitatis; & multa de timore ſeruili, & attritione, pro dogmate Catholico contra illos diſputo. Quartus dogmatum meorum Theologicorum tomus propediem ſub prælum mittendus eſt, nihil ad iſtam contentionem ſpectans: præter pauca quædam, vbi de Chriſti libertate agitur. Sed quid illis Collectaneis factum eſt, quæ ad nos miſeras de hiſtoria Michaëlis Baij? Plurimùm intererit ea non ſupprimi à vobis; ſed quamprimum in vulgus emitti: vti natæ ad perniciem fidei, & Eccleſiæ, nationis arcana propalentur. Deum oro, vti te ope ſua, & gratia perpetuò dignetur: méque ſacris & precibus tuis impenſiùs commendo. Lutetiæ Pariſiorum Februarij 14. anno 1648.

EPISTOLA LXXXVI.

Ioanni Bollando Societatis Iesu, Antuerpiam.

MIsi ad te tomos duos de Incarnatione Christi, nouissimè elucubratos, & à prælo recentes, quos vt quam-primùm perferendos curaret, typographo diligenter mandaui. Spero illos non inutiles, nec iniucundos fore Catholicæ parti: quam in plerisque controuersis capitibus aduersùs Lutheranos, Caluinistas, Socinianos, ceteráque pestes, ac potissimùm Ianseniſtas illorum fraterculos, propugnare studui. Tertius decimus certè liber totus in hoc argumentum insumptus est. In quo tum Deum saluos omnes esse velle: tum verò Christum ad vniuersorum salutem, quantum in se erat, pertinere voluisse mortis, ac perpessionis suæ merita; accuratè demonstratum est. Addita est & Dissertatio quædam contra heterodoxum, cuius exemplar separatim editum, & auulsum iam, vt opinor, à me accepisti. Plurimi hîc Episcopi contra Iansenianam nouitatem commoueri cœperunt, & in huius damnationem incumbere. Romæ ab Inquisitoribus fidei damnatus est libellus quidam, ab ista secta nuper Gallicè scriptus & vulgatus sub hoc elogio, *Catechismus de gratia*, in quo

præcipua Ianſenij venena collecta ſunt. Gaudeo Academicos Duacenos vexillum ſuſtuliſſe contra Louanienſes Armacanos, ac palam defenſores ſe profiteri Catholici dogmatis: quod iſtorum aliqui vexare inſtituerant. Dominum precor, vt pacatis tumultibus, & diſſidiis, omnium animos, optato pacis, & concordiæ nexu, quàm arctiſſimè inter ſe deuinciat: & vt pari cum Chriſtiana pietate progreſſu litteræ noſtræ ſuum tenere curſum incipiant. Vale mi Pater; ac mei in ſacrificiis precibúſque tuis fac perpetuò memineris. Lutetiæ Pariſiorum Nouembris XI. 1650.

EPISTOLA LXXXVII.

MAGNA pridem conſtánſque de tua virtute, doctrináque, & propenſo in litterarum cupidos ſtudio, ad nos fama peruenerat. Auxit hanc commendatione ſuâ, vir acerrimi iudicij, ac ſingularis eruditionis Annatus, Aſſiſtens ſocietatis noſtræ: qui tum illa quæ de te memoraui non ſemel apud me prædicauit; tum hoc adiecit, neminem in bona tuenda cauſa, hoc eſt, Catholici dogmatis contra nouas ſectas, auctoritate propugnanda, firmiorem te Romæ hodie viuere. Quæ res tantum in me tui excitauit amorem, vt quæ prima ſe mihi occaſio dediſſet, eâ vti decreuerim, ad ſingularem meam in te voluntatem, quod vnum poteram, litterarum aliquâ ſignificatione teſtandam.

Hoc vt facere possem, peropportunè mihi hoc tempore accidit, cùm Theologicorum dogmatum meorum Tomus quartus prodiret in lucem. Cognoui enim de Annato nostro, priores tres, quos ante octo circiter annos elucubrauimus; pergratos tibi fuisse. Quo maiori spe sum incensus, non minùs probatum iri tibi consequenté hunc, qui est de Incarnatione, propter argumenti copiam, & vbertatem, diuisus in partes duas. Accipies igitur hunc à me, pignus & obsidem voluntatis erga te meæ: ac mihi auram aliquam afflabis fauoris ac patrocinij tui, quo aduersùs maleuolorum obtrectationes, quorum copiosa temporibus istis annona prouenit, tutum me ac defensum esse patieris. Ego verò tibi hoc vicissim repromitto, nullo me vnquam loco, amplificando honori tuo, quoad in me situm erit, defuturum. Vale.

EPISTOLA LXXXVIII.

Isacio Haberto Episcopo Vabrensi.

EXPRESSIT à me nuper nouam lucubrationem Armacanorum insolentia: quæ scriptis & factis, Catholicam causam vexare non desinit. De factis puto iam auditum abs te, quid ab illis aduersus facultatem vestram moliti sint, tribus abhinc mensibus; quásve turbas istic conciuerint: quibus iccirco narrãdis supersedendum mihi puto, quod eorum famã in longinqua

ginqua peruolasse, & ad vos vsque peruenisse mihi videtur. E libellis verò, quos doctrinæ suæ venenis respersos, frequentes in vulgus, eodem tempore, disseminarunt; vnus ille fuit, quem mihi refutandum sumpsi, scriptus ab Abbate anonymo: in quo Tridentini Concilij mentem ac sententiam de gratia, ex Augustini doctrina, atque libris, interpretandam esse contendit. Quod quàm subdolè, callidéque susceperit; non est obscurum. Non tam enim ex Augustini mẽte, quàm ex suâ dictorum eius expositione, Synodalia illius decreta ad hæresim suam accommodare studuit. Quod erat minimè tolerandum. Ideo resistenduḿ illorum conatibus, & versutis eorum consiliis intercedendum esse decreui. Idque, libro de hoc argumento edito, pro virili parte facere sum aggressus. Quem librum, statim atque in lucem prodiit, ad te mittere destinabam. Sed moram iniecit rumor quidam à Sebastiano Cramosio confirmatus mihi: te propediem in hanc vrbem esse venturum. Itaque sustinui tantisper, dum aut coràm, quod optarem maximè, videre te, ac meum tibi velut aduentorium munusculum offerre possem: aut certi aliquid de aduentu tuo certiùs cognoscerem. Sed cùm nihil adhuc explorati de eo liquidíque constaret, non potui differre diutiùs, quin officium meum reipsa tibi probarem, atque inter negotiosissimas, sed Dei ac proximorum amore conditas, & vtilissimas occupationes tuas, illud laxamentum præberem; non iniucundum, vt ar-

bitror tibi, mihi verò cùm ad obſeruantię erga te meæ teſtificationẽ; tum ad mutuam in me tuam corroborandam & amplificandam beneuolentiam, non mediocre momentum allaturum. Ac ne tarditati meæ nimium ſuccenſeas, adieci πάρεργον neſcio quid, è Latino Ciceronis Gręcè redditum; quod vt in bonam partem accipias, méque vt feciſti hactenus, amare pergas, etiam atque etiam, Præſul Illuſtriſſime, precor.

EPISTOLA LXXXIX.

NÆ tu gratus homo es, qui tam puſilla in te officia mea tanti æſtimas, vt in iis commemorandis totam tuam epiſtolam conſumpſeris. Vellem dignius aliquod illius argumentum feciſſes. Etſi iucundius eſſe mihi nullum poteſt: non quòd tanta eſſe, quanta vis, merita in te mea iudicem, aut verò videri tibi cupiam: ſed quòd tantilla ex re ſpecimen & coniecturam animi tui capio. Intelligo enim, quantum ſis maioribus acceptis beneficiis officioſus ac memor futurus, qui in tam paruis remunerandis tam præter modum copioſus eſſe voluiſti. Itaque vti tuâ cauſſâ plura velim, pluráque in dies enitar, tua me iſta liberalitas admonet: ſic tanquam agrum illum impendio maiore, ac ſtudio colimus, qui commiſſa ſibi ſemina abundantiore frugum copia, & vbertate compenſat. Fac igitur ſciam, qua tibi in re, tuíſque rationibus commodare poſſim. Nam de Leonardo no-

ſtro,cuius in Græcis operam præſto tibi eſſe cupis,certò potes confidere. De te enim diligenter ad eum ſcripſi:neque dubito,quin poſtulatis etiam noſtris maiora ſponte ſit ſua facturus. Vale, & quod agis, mei apud Deum memor, felix & incolumis viue.

EPISTOLA XC.

QVANTVM ex epiſtola tua voluptatis ceperim, is ita demum æſtimare poterit, qui quanti te faciã,quantúmque te amem,intellexerit. Amaui autem ex quo noſſe te cœpi, nitidámque tuam & ingenuam indolem,atque ad virtutum, honeſtarúmque rerum ſatus excipiendos apprimè factam. Quas quia colere pergis, & ad pietatis honeſtatíſque ſtudia,illa etiam doctrinarum, artiúmque ſic adiicis, pluris vt hæc tamen poſteriora facias.(Ita enim te facere demõſtras) valde id me quidem delectat, atque vt perpetuò ſic tu inſtituas, hortor plurimùm, & obteſtor. Nam quòd mirificâ,ex tuo illo docendi munere, iucunditate perfundi te ſignificas:non minùs eſt hoc mihi,quàm tibi iucundum.Eſt autem hic fructus animi, non ſolùm obedientiæ præmium; quæ tota, hac ſuauitate perfunditur: ſed etiam illecebra laborum ac ſtudiorum iſtorum, ac vocantis & incitantis ad illa te Dei vox quædam & ſignificatio. cui te parêre, & ad ea accommodare te,vti facis, oportet. Quamobrem fac conſtanti & erecto animo ſis; neque

te difficultates istæ frangant ac deiiciant, quibus obsideri solent magnarum omnium summéque expetendarum initia rerum. Ego, si quid ad vsum tuum, aut solatium conferre possum, volo id apertè palámque à me postules: nihil enim, quod quidem in me situm erit, desiderari abs te patiar. Tu tantùm cura, vti animo, corporéque valeas. P. Rectori plurimam à me salutem dicito: & quod de Theologico me opere sciscitari voluit; hoc illi meo nomine respondeto, id in cursu esse, & in dies procedere. Vale.

EPISTOLA XCI.

Ex voto tibi cessisse profectionem hinc tuã; & cum Fixano te cælo paùllatim in gratiam redire, valde gratulor. Sed expectãda est hiems: ea stomacho tuo decretoria tempestas erit. Quę si molestior sit, quàm vt ferri debeat; tu verò & ad me, & vti iussum te ais, ad P. Prouincialem scribes. ego, quod sum pollicitus, curabo sedulò; nec te conflictari pristinis illis incommodis patiar. Quanquam maxima sum in spe, commodiùs te illîc, quàm dudum, fore: cura modò vt valeas, ac diuinorum colloquiorum suauitate, beatóque illo otio sic fruere, vt valetudinis rationem interim habeas; nec vltra corpusculi tui vires enitare. Plura itidem, vt facturum te minaris, ad te scribam postea. Nunc tam

multis respondendum mihi fuit, vt longiori esse non liceat. Tu velim fratres nostros, qui ex ouili hoc nostro in longinqua pascua nuper euolarunt, à me salutes; quibus omnibus, vt & tibi, læta omnia precor ac tranquilla. Vale.

EPISTOLA XCII.

IAMDVDVM in ære tuo me esse, non solùm memini, quod quiuis debitores faciunt: sed etiam præ me fero, quod non solent, nisi probi & ad soluendum parati. Itaque tardum licèt, certum tamen nomen hoc experiere semper. Ac nisi tu me, ego te penitus nossem: hoc est, nisi ego te minimè querulum ac morosum exactorem esse scirem, & tu me in tui amore perseuerantem & constantem consideres: tarditatem illam meam excusarem diligentiùs. Nunc pluribus nihil opus est. Ac tanta est mea de te fiducia, vt tanto interuallo rescribens, etiam perbreui epistolâ defungi satis habeam, neque offensionem vllam ex ea te metuam. Quòd igitur animo vales & corpore; & vtroque, sed illo maximè, confirmaris in dies, & fis robustior, id quod ex tuis litteris intellexi; magnam mihi affert voluptatem: quia te amo plurimùm, ac tibi esse quàm optimè cupio. Erit autem si, quod hactenus facis, pietatis religiosæ cultum cum litterarum studiis ita temperes, vt plusculum priori illi potiorique parti tribuas; & vtrumque tamen ex virium tua-

rum, ac corpuſculi modulo & captu metiare: ne idem, quod agris interdum, eueniat tibi; vt in vnum alterúmque prouentum, quidquid in te eſt roboris ac ſucci profundas, atque conſumas. Vale.

EPISTOLA XCIII.

NON concedam tibi, maiori vt voluptati tibi ſit, quàm mihi, quòd in ſequente anno futuri vnà ſumus. Hoc enim iamdudum, quod tu ipſe ſcis, nō ſolùm optaueram, ſed efficere conatus eram: quod ſuauiſſima & amantiſſima Dei prouidentia vtrique tandem ex voto tribuit; de quo immortales illi gratias ago. Equidem ſi mea erga te tibi dubia voluntas eſſet, ac niſi te certò confidere putarem, tuâ me cauſsâ omnia cupere: longior eſſem in venditanda ac deſpondenda tibi opera mea. Sed quia nihil eſt, quod quidem in me ſitum ſit, quod de me polliceri tibi non poſſis: hoc vnum dicam; quantæcunque ſpei exſpectationíque tuæ reſponſurum me eſſe, quibus poſſum officiis; ac te tuáque ſtudia in me eſſe ſuſcepturum. Vale.

EPISTOLA XCIV.

POSTREMÆ litteræ tuæ, etſi aliquantulum iis indormierim, haud penitus exciderunt animo meo. Iis ſi minùs tempeſtiuè te-

ſcribo, ignoſcere debebis occupationibus noſtris; è quibus tamen euigilare quamlibet longo interuallo, & expergiſci ſoleo; vt amicis meis, officióque ſatisfaciam. Tu cùm de priſtino pietatis ſtudio neque remittis quicquam, & nouis etiam auctibus cumulas; antiquum obtines: facíſque quod te facere ſemper volui, & verò ſum hortatus. Sed adiunges etiam, ſi me audis, amorem litterarum, contentionémque diſcendi; ne altero pede claudices, ſi vni tantùm inſiſtas. Spero non defuturam tibi voluntatem: ſed neque deeſt ingenium, cui tu nimiùm diffidere mihi videris, ac de te ſentire demiſſiùs. Quæ tum laudanda moderatio eſt, ſi non ex anguſto & puſillo animo prodeat; quem in te magnum & erectum eſſe cupio, atque vt terrena omnia contemnentem, ſic de Diuina ope & gratia nihil non ſperantem: quæ tuis conatibus ſine dubio reſpondebit, & ſucceſſum dabit ſpe etiam tua votóque maiorem. Vale.

EPISTOLA XCV.

QVOD morbi genus ſit, quo tandiu conflictor ac maceror, peramanter ac beneuolè requiris. Ego, vt paucis tibi ſatisfaciam, ſcire te volo varium illud eſſe, nec vniuſmodi. Sed præcipuus in eo capitis eſt dolor, quod dimidium atrociter, ac pæne ſine intermiſſione, dies me noctéſque pungit ac lacerat. hoc græ-

ci medici ἡμίκρανον vocant; sed hoc interest quod plerumque temporarium esse solet, nec sanè perpetuum: in me, vti dixi, propemodum continuum est, & aduersus remedia contumax. Ad hoc leuandum cùm varia tentata sint, tum hoc tandem perleue nactus sum alleuamentum, Nicotianæ, quam vocant, vsum. Est id herbæ cuiusdam genus, oppidò vehementis: cuius folia mandere cùm cœpi, paululùm dolor interquiescit: sed ei succedit stupor quidam, ac velut torpor capitis, qui in totum corpus redundat. eam Græci νάρκωσιν appellant. Is vbi suas partes agere cœpit, tantus virium defectus ac deliquium oritur, vt propemodum intermortuus iaceam. Sed qualiscumque is est, tolerabilis mihi videtur, præ vt est morsus ille ac laniena capitis, quam ἡμίκρανον affert. Quocirca hæc me alternis, ac per vices, ægritudinis angit successio, vix vt respirandi locus sit. Hoc in tanto cruciatu vnicum ac singulare remedium est, Christi Domini recordatio, qui summam Christianę felicitatis in cruce constituit, id est, dolore perferendo tum animi tum corporis. Sed peruincẽda, & superanda est, illius ope, ægritudo hæc, quæ quamlibet diuturna, perpetua certè esse non potest, nec vltra mortem extẽditur. Cuius cùm vel ipsa memoria horrori esse soleat, mihi suauissima, & optatissima iampridem esse cœpit. Hanc enim velut portũ ac terminum angorum omnium ex interuallo respicio, nõ sine iucundissimo quodam sensu voluptatis. Idque non meritis adscribo meis, sed promissis

Domini Iesu, qui nobis certissimam spem æternæ vitæ, ac quietis, morte sua repræsentauit. Quam, vt ratam aliquando faciat, tuis ac piorum omnium precibus assecuturum me esse confido. Vale, ac meâ caussâ, quod te facere non dubito, id ab illius clementia postulare perge.

EPISTOLA XCVI.

ΟΥΙΛΛΕΛΜΩι
ΤΩι ΛΕΩΝΑΡΔΩι

τῷ ἐκ τῆς ἑταιρείας Ἰησοῦ, εἰς Ῥωτόμαγον.

χαίρειν Πετάβιος τῷ Λεωνάρδῳ λέγει.

Οὐκ ἔστιν, ὦ τᾶν, νηπεχὴς ἥ δ' αἰτία
Δι' ἣν ἐλιννῦσαί μ' ἀποπλήθης τέως·
Οὔτ' ἀντιγράψαι μηδὲν οἷς φθάσας γράφων,
Ἑλληνικῶς καὶ ταῦτα, καὶ κομψοῖς μέτροις.
Ὃ δὴ ξυναμφοῖν, σῆς τ' ἐς ἡμᾶς ἐμφύτου

Στοργῆς, φρενῶν τε τῶν σοφῶν τέκμαρ λαβὼν
Αἰνῶς ἰάνθην. ἀλλ' ἀμειβαίμην ὅμως
Ἐς τὴν παροῦσαν, οὐκ ἔπισά πω χάειν.
Τί δὴ παθὼν ζα μ' εἰκὸς ὀκνῆσαι τόσον;
Μάθοις ἂν ἤδη. Νομάδος ᾠήθην Σκύθου,
Ἢ καὶ πλάνητος Ἀράβος, ἐν τῷ νῦν βίον
Ὀχοῦντα σαυτόν· ἤ, ὅπως σεμνῶς ἐρῶ
Μᾶλλον, μαθητὴν τοῦ βροτωθέντος λόγου,
Ἄοικον, ἀστατοῦντα, μὴ πῆξαι στέγην·
Τῆδ' αὖ πάλιν, κἀκεῖσε, φυξίμῳ ποδὶ
Χώρας ἀμείβειν, καὶ πόλεις, ὡς ἂν τύχοις,
Δίκην πετεινοῦ, εἴτ' ἀσάρκου πνεύματος·
Οὐκοῦν ἐμῆς γε πρὸς σὲ γραψάσης χερὸς
Οὐ πρῆξιν εἶχε· ποῦ γὰρ ἂν χωρεῖ χθονὸς
Τό μοι πεμφθὲν γράμμα, καὶ ποῦ νιν στελῶ;
Νῦν δ' ὡς σάφ' εἰδὼς ποῦ σὺ γαίης εἶ πνέων,
Θαῤῥῶν ἔπεμψα τοῦθ', ὅ μοι χαίρων δέχου.
Κἀμοὶ λιτῇσιν εὐμενῆ πρᾶξον θεόν,
Τεύξεσθ' ὁμοίων ἐξ ἐμοῦ πεπεισμένος.

Ἔρρωσο, καὶ σύν μοι προσφιλῶς ἐπιστέλλειν.

Ἐν τῇ Λουτεκίᾳ τῇ κς´ Ἰουνίου.

EPISTOLA XCVII.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΩι
ΤΩι ΛΟΓΓΟΥΕΤΩι
τῷ ἐκ τῆς ἑταιρείας Ἰησοῦ, εἰς
Ῥωτόμαγον.

ΕΥΓΕ ὅτι καινοτομεῖν ἔφθης τοιοῦτόν τινα τὸν τῆς ἐπιστολῆς τρόπον, καὶ ἑλληνίζειν ἐπεχείρησας, οὐκ ἐθὰς ὢν πρότερον τοῦτο ποιεῖν, οὔτε μὴν πρὸς ἐθάδα. Ἄγαμαι μὲν οὖν σε τῆς φιλοκαλίας ἐκείνης, καὶ δέχομαι τὴν πρόκλησιν, τοῖς τε ἴσοις, καὶ ὁμοίοις ἀνταμείβεσθαί σε βούλομαι ὅσον ἂν ἐγχωρῇ. Οὐ γὰρ ἔξεστί μοι ἀεὶ, τῶν ἀσχολιῶν ἕνεκα, καὶ τῶν προὔργου πραγμάτων. Τοιγαροῦν συγγνώσῃ μοι· ἂν μὴ πρὸς τὸν καιρὸν ἀπαντᾷ ἤδε ἡ ἐπιστολή· ἀλλὰ τοῦ προσήκοντος ὑστερεῖ. Οἶσθα γὰρ

ἡμῶν φιλίας, ἐν ταῖς ἱεραῖς σου, καὶ καθημεριναῖς θυσίαις, καὶ ἐν προσευχαῖς· ἵνα ἀλλήλοις ἀεὶ συνδεδεμένοι, καὶ τοῦ Θεῷ, καὶ ἀλλήλων ὀναίμεθά ποτε βέλτιον, καὶ εἰλικρινέστερον ἐν χριστῷ. Ἔῤῥωσο μᾶλλον ἀεὶ, καὶ περὶ ἐμοῦ ἄσπασαι τὸν πατέρα τὸν πρεσβεύοντα ὑμῶν. Ἐν τῇ Λουτεκίᾳ, Ἰανουαρίου τῇ ιη. αχλϛ'.

EPISTOLA XCVIII.

ΟΣΟΝ μὲν εἰς τοὺς λόγους σπουδῆς, καὶ προθυμίας εἰσήνεγκας, ἐξ οὗ ἐντεῦθεν εἰς τοὺς Ἐνετοὺς ἀπῆλθες, πρόδηλον ἐξ ὧν πρός ἐμὲ γράφειν ἔφθης, καὶ ταῦτα ἑλληνικῶς· καίτοι τῆσδε τῆς γλώττης διὰ καὶ πρίν οὐ μάλα ἔμπειρος ὤν, ὅσον γε ἡμᾶς εἰδέναι· μᾶλλον δὲ τὸ παράπαν ἀνήκοος. τοιγαροῦν ἥδιστα διαφερόντως, ὁρῶν οὕτω γενναίως ἀντιλαμβανόμενόν σε ταυτησὶ τῆς παιδείας, καὶ τὴν εἰς ἄπαντά σου καταμαθὼν εὐφυΐαν τε, καὶ ἀγχίνοιαν· ἤ τις

ἐπίδοξός ἐστι, πάντα ἂν ῥᾳδίως κατορθώσειν, οἷς ἂν ὁμοίως, τουτέστι φιλοπόνως, καὶ κατὰ κράτος ἐπιβάλληται. Θαυμάζειν δέ μοι ἔπεισι καὶ τὴν θείαν ἀμφί σε προμήθειαν, ὃς δημοσίαν ἐκείνην συμφορὰν, καὶ ἀπευκτοτάτην ἐκεχειρίαν ἔδωκέ σοι ἐν δέοντι καταθέσθαι, ὡς ἀφορμὴν εἶναί σοι μεγάλης τινὸς ἐμπειρίας τοῦ περὶ τὰ ἀναγκαιότατα τῶν ἐπιτηδευμάτων. Οὐκοῦν ἄξιος εἴης οὐ μόνον εἰδέναι χάριν τοσούτων εὐεργετήσαντί σε θεῷ, καὶ ἐν ἀπόροις πόρους εὑρόντι· ἀλλὰ καὶ τοῖς προϋπηργμένοις, οἷα πρέπον ἐστὶν, ἐποικοδομεῖν, καὶ καθ᾽ ἡμέραν ἐπιδιδόναι πρὸς τοὺς λόγους, φιλομαθῶς ἐχόμενος, καὶ οὐκ ἀνιεὶς, πρὶν ἂν εἰς ἄκρον ἐλάσῃς παντοδαπῆς παιδείας. Τοιαῦτα γάρ ἐστι τὰ προοίμια ταῦτα, ὡς ἐλπίζειν ἡμᾶς πάντως ἐκείνου σε τεύξεσθαι, ἂν μὴ ἑκὼν ἀφέμενος ἐθελοκακήσῃς, καὶ προδῷς ἑαυτόν· ὅπερ οὐκ ἂν οἶμαι παθεῖν σέ ποτε· μᾶλλον ἢ τοῖς πρόσω ἐπεκτεινόμενον, λαμπρὰ, καὶ ἀγαθὰ καρπώσεσθαι τῶν ἐν τούτοις

πόνων, καὶ ἱδρώτων, τὰ ἔπαθλα. Ἔῤῥωσο ποθεινοτάτη μοι κεφαλὴ, καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς μνείαν ἐμοῦ ποιούμενος οὔποτε παύσαιο. Ἀσπάζονταί σε πάντες οἱ γνώριμοί σου τῶν ἀδελφῶν· οὓς παρά σου προσειπεῖν ἐκέλευσας ὑμᾶς.

EPISTOLA XCIX.

ΔΙΑ πολλοῦ μὲν, καὶ ὀψέ ποτε ἀντεπιστέλλω τῇ τιμίᾳ σου κεφαλῇ· κρεῖττον γὰρ κἂν οὕτως ἀφοσιώσασθαι, καὶ τὸ καθῆκον ἀμωσγέ πως ποιεῖν, ἢ τὸ παράπαν ἀπολιπεῖν· ὥσπερ καὶ τὸ χρέος ἀποτίσαι ἔπη ἂν, καὶ ὁπότ' ἂν ἐγχωρῇ, ἢ παντελῶς ἔξαρνον εἶναι, καὶ χρεοκοπεῖν, παρὰ πολὺ βέλτιόν ἐστι, καὶ φιλανθρωπότερον. Εἰ μὲν οὖν πρὸς ξένον τινὰ, καὶ οὐκ εἰδότα τἀμὰ ταύτην ἔγραφον τὴν ἐπιστολὴν, πολλὰ ἄν τις εἴπω, ὑπεραπολογούμενος, καὶ παραμυθούμενος τὴν αἰτίαν, ἣν οὐ παρὰ δίκην ἴσως ἂν φυγεῖν ἔδοξα, ταυτησὶ τῆς μελλήσεως ἕνεκα, καὶ

τῦ ἄγρυ ὀκνηρῦ. ἐπεὶ δὲ τὰ καθ' ἡμᾶς ἅπαντα σαφῶς ἔγνωκας, καὶ ἐν ὅσαις καθ' ἡμέραν ἀσχολίαις τὸν βίον ἄγομεν, οὐδὲν ἐμοὶ τοιαύτης πρὸς σὲ τῆς ἀπολογίας δεήσειν δοκῶ. Τὰ μὲν δὴ κατ' ἐμέ, τοιαῦτα. Σὲ δέ, ὦ προσφιλεστάτη κεφαλή, ἄγαμαι, καὶ θαυμάζω τῆς εἰς τὰ ἑλληνικὰ προκοπῆς, ἣν ἐν βραχεῖ οὕτω λαμπρὰν, καὶ ὑπερφυῆ πεποιηκέναι δοκεῖς, ὡς ἀπιστῆσαί με μεταξὺ τὴν σὴν ἐπιστολὴν ἀναγινώσκοντα πότερον ὁ αὐτὸς ἂν εἴη ὁ Τουρμῆνος, ὁ πρώην ἑλληνίζων πρὸς ἐμέ, ὁ ταυτησὶ πατὴρ τῆς πρὸς τοσοῦτον ὑπερβαλλούσης ἐπιστολῆς, κατά τε τὸν ἑλληνικὸν χαρακτῆρα, καὶ κατὰ τὴν ὀρθότητα τῆς συγγραφῆς. Εὖγε, καὶ οὕτω βάλλε, κατὰ τὸν Ομηρον, καὶ ἴσθι, ὡς μετ' ὀλίγον εἰς ἄκρον ἐλάσεις τῆς ἑλληνικῆς παιδείας, ἂν οὕτως ἀεὶ διατελῇς εἰς τὸ πρόσω ἱέμενος, καὶ καθ' ἡμέραν ἐπιδιδούς. Ερρωσο, καὶ ὑπὲρ ἡμῶν προσευχόμενος μὴ παύσαι ποτε.

EPISTOLA C.

ΝΙΚΟΛΑΩι ΤΩι ΖΟΡΑΒΙΩι

ἰατρῷ καὶ μαθηματικῷ βασιλικῷ, Εἰς Οὐαρσοβίαν.

ΤΗΝ περὶ σοῦ ὡς ἐμὲ πεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν ἀναγινώσκοντί μοι, πρῶτον μὲν ἐπῆλθεν ἄγασθαί σε τῆς δαιμονίας οὕτω περὶ τὰ ἑλληνικὰ σπουδῆς· ὑφ᾽ ἧς προήχθης καὶ τὸν μακρὰν ἀφεστηκότα, καὶ εἰς ἑτέραν, ὡς εἰπεῖν, οἰκουμένην ἀπῳκισμένον, πρὸς τὴν αὐτὴν ἐκκαλέσασθαι φιλοτιμίαν, δι᾽ ἧς ἔγραψας ἑλληνιστὶ φθεγγομένης ἐπιστολῆς, παγκάλης οὔσης κατὰ τὸν φίλιον, καὶ πολλὴν κατηγορούσης τοῦ συνωθέντος περὶ τὰ τοιαῦτα τριβήν. Ἔπειτα δὲ λίαν ἐξενίσθην οἷς ἔγραψας, καὶ ἃ τὸ πλεῖστον ἐνεῖχε μέρος τῆς ἐπιστολῆς· ὡς ἐγὼ πάσας τὰς τοῦ Κικέρωνος ἐπιστολάς,

καὶ τἄλλα αὐτοῦ ἔργα, ἑλληνιστὶ μεταφράζειν προελόμενός ποτε, μετὰ ταῦτα τὸ δόξαν ἀνεθέμην. Καίτοι οὐδὲ τοιοῦτόν τι σύνοιδα πώποτ' ἐμοὶ εἰς νοῦν βαλομένῳ· πολλοῦ γε καὶ δεῖ· οὐδὲ μὴν κἂν μέγα, κἂν μικρόν τι ἐπισημηναμένῳ περὶ τούτου, ἐν τῇ προοιμιώδει τῶν Παρέργων ἐπιστολῇ· ὅθεν ἐκείνου τοῦ στοχασμοῦ (οὐ γὰρ ἑτέρωθέν ποθεν) ἀφορμὴν εἰληφέναι δοκεῖς. οὐ μὴν οὕτω μαινοίμην, ὡς κἂν ψιλὴν εἰς ἔννοιαν ἐλθεῖν τοῦ τοιούτου ἐγχειρήματος, παιδαριώδους τῷ ὄντι, καὶ τῇ ἐμῇ ἡλικίᾳ πάντων ἥκιστα πρέποντος. Ὥρα γοῦν ἤδη σοι, ἐπιτραγῳδεῖν ἀφέντι τῷ οἱονεὶ λιποταξίῳ τούτῳ, ὑπομιμνήσκεσθαι ὅτι πάρεργον προὐθέμην οὐκ ἔργον, ἐκείνην ἐκδοῦναι τὴν μετάφρασιν· ἧπερ, ἐάν πῃ παρείκῃ, καὶ τὸ θεῖον συγχωρῇ, τὸ περὶ φιλίας βιβλίον τοῦ αὐτοῦ Κικέρωνος μετ' ὀλίγον προσθείην ἂν τάχα, παραπλησίως ὑπ' ἐμοῦ μεθερμηνευθέν, καὶ εἰς ἑτέραν ἔκδοσιν ἤδη παρεσκευασμένον· ἵνα κἂν τοῦ-

τὸ γοῦν χαρίσωμαι τοῖς φιλολόγοις ὑμῶν, καὶ τῆς ἑλληνικῆς εὐεπείας ἐπαΐουσιν. Ἔρρωσο.

EPISTOLA CI.

ΓΑΒΡΙΗΛ ΤΩι ΚΟΣΣΑΡΤΙΩι εἰς Λουτεκίαν.

ΟΥΚ ἐν αἰτίᾳ ἔχοιμί σε, ὦ ᾽γαθέ· οὐχ οὕτω μεμψίμοιρος ἂν εἴην, ὡς ἀναίτιον αἰτιάσασθαι· τοὐναντίον δὲ χάριν ἴσημι πολλὴν, ἀνθ᾽ ὧν ἔγραψας πρὸς ἐμὲ, καὶ ταῦτα ἑλληνιστὶ, μάλα σοφῶς, καὶ ἐπιστημόνως, νὴ τὰς μούσας. περὶ δ᾽ ὧν ἔγραψας, οὐδὲν δυσχερές, οὐδὲ γραφῆς δεόμενόν ἐστι. πάντα γὰρ ἐπιτέτραπταί σοι τἀμὰ, ἵνα διαθείης ἅπαντα, ᾗ ἂν ἐθέλῃς. Τὸ μὲν οὖν ῥᾷόν σε, καὶ βέλτιον ἔχειν, ὡσαύτως δὲ καὶ τὸν κάλλιστον Βελέτιον, καὶ βεβαιωμένον, ἥσεν ἡμᾶς, ὅσον εἰπεῖν οὐ δύναμαι· Εὖγε ὅτι ἡ νόσος ἀπέσβη, καλῶς ποιοῦσα. Ἀλλ᾽

ὅσον ἡμεῖς ἐχρήσθημεν τῇ τῶν πατέρων ἀναβιώσει· τοσοῦτον ἐλύπησεν ὁ θάνατος τοῦ καλλίστου καὶ εὐσεβεστάτου ὑπηρέτου. φεῦ τῆς ἀτοπίας τῆς εἱμαρμένης, ἣ ἐμὲ παραλιποῦσα, τοὺς ἀναξίους εἷλε, καὶ μηκέτι δεομένους, εἰς τὸν εὐδαίμονα μετήγαγε βίον. ὡς ἀντίψυχος εἴην ἐκείνου, τοῦ ἡμῶν μὲν ὑπηρέτου· τῷ δὲ ὄντι, διδασκάλου τῆς εὐσεβείας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν τοῦ θεοῦ ἐν γουνάσι κεῖται. Τὰ δὲ καθ' ἡμᾶς ἔχει, ὡς φίλον ἐστὶ τῷ θεῷ, τοῦτ' ἔστι κατὰ τὸ εἰωθός· καὶ οὐδὲν ἀπωνάμην πω τῆς μεταβολῆς τοῦ ἀέρος· τοὐναντίον δὲ, χεῖρον ἔχω ἢ πρότερον. νικάτω δὲ τὸ θεῷ δοκοῦν. Ἄσπασαι τοὺς συμβιωτάς σοι φίλους ὑπὲρ ἐμοῦ· διαφερόντως δὲ τόνδε, τὸν πρεσβεύοντα πατέρα, ὃν ἐν Χριστῷ προσαγορεύω, καὶ δέομαι ὑπὲρ ἐμοῦ εὔξασθαι διηνεκῶς, ἕως ἂν ὡς ὑμᾶς ἐπανακάμψω. Ἔρρωσο, ἐν Αὐρηλιανοῖς τῇ τοῦ Αὐγούστου δεκάτῃ. ͵αχιϐ'.



EPISTOLA CII.

PERGIS de me bene mereri, & quæ mea interesse putas, officiosè commonere. Vel illud cuiusmodi est, quòd nuperrimè significasti, furtiuo nescio quo libro famam meam appeti à nouæ doctrinæ fautoribus: quasi mutatâ sententiâ id ego nunc impugnem, quod antè studiosè propugnaueram; nec leui quidem in re, sed quæ religionis Catholicæ summam contineat? Ais ergo vulgari hoc ab hominibus istis, me in Prædestinationis negotio, non à Catholicis tantùm, sed etiam à me ipso desciuisse. Non est recens illa calumnia, nec in me conflata nuper: sed vetus & rancida querela, quam sexcentis locis obtritam à me habes, & manifestè conuictam. Quidnam igitur est, cuius caussâ tanti ab impura illa natione clamores editi sunt? Aiunt me in sexto capite libri primi Theologicorum Dogmatum, Tomo I. ita de Prædestinatione sensisse; ante præuisa vlla merita ad æternam salutem destinari homines, ídque non tantùm Augustino ita visum esse, sed etiam pro fidei decreto à Catholicis habitum; quod secùs deinde scripsi, & sedulò docui.

Magnum illud crimen est, nec simplici pœnâ mulctandum, si tamen verum est: quod profectò non est; sed insignis oscitantiæ est hæc illorum criminatio. Attenderent, quàm

ego cautè ac subtiliter ista distinxi; Gratiam, & Prædestinationem. Dixi primùm vniuersè, in iis quæ ad Gratiam & Prædestinationem attinent, maiorem Augustini rationem, quàm ceterorum Patrum, habitam. Sed cùm ad eam veni partem, quæ fide certa & Catholica esse meo iudicio deberet, ita sum locutus: *Cuius*, Augustini, *de Gratia sententiam, quotquot deinde consecuti sunt Patres ac Doctores, tum verò Ecclesiæ Romanæ Præsules, Præsulúmque conuentus aliorum, ratam & Catholicam esse iudicarunt.* Num qua hîc Prædestinationis mentio? De Prædestinatione verò non idem dixi; sed etsi visum est Augustino, eam sola ex Dei voluntate pendêre: liberum tamen cuique esse monui, quam vellet sectam persequi; ídque adeo disertè ac perspicuè docui, vt quasi solaribus radiis testatum & expressum illud reliquerim. Velut ista sunt, quæ in primo capite libri decimi, his verbis exposui. *Verùm non omnia, quæ in refellendis hæreticis istis ab Augustino proposita sunt, pro Catholicis immotísque decretis habentur ab iis ipsis, qui illius doctrinam commendant, Pontificibus*, &c. Tum inferiùs paulò: *Ex eo genere profundiorum quæstionum, quæ nihil ad negotium Gratiæ pertinent, est illa de Prædestinatione controuersia; de qua cuiuis, vtrum volet, sequi, Romani Pontificis sententiâ illâ permittitur.* Quorsum igitur tanti latratus, & querelæ de istis editæ sunt ab illis? aut quis contrariæ opinioni locus, in his verbis, quæ tam certis & Catholi-

cis præsidiis vndique vallata, ac munita reliqui?

Venio iam ad illam reprehensionem Latinorum versuum, in quibus ita me locutum criminantur, vt Semipelagianorum sententiam totidem verbis amplexus videar. His maximè offenduntur:

———— tanquam non gratia cunctos
Oblata illiciat, vitióque sit irrita nostro,
Cui nos deficimus, non deficit illa volentes.

Sed quis non videt verba illa probo & Catholico sensu vsurpari? Neque verò hæresis, quam Prosper & alij Catholici in istorum verbis subodorati sunt, hæsit in vocibus præcisè sumptis: sed in iisdem, quatenus hæretico sensu ab illis vsurpabantur. Filium ingenitum esse qui dixerunt, facilè pro hæreticis iudicati sunt: cùm tamen alio sensu Filius ingenitus, hoc est, increatus à Catholicis passim vocatus sit, nimirum si ἀγένητος per vnicum ν concipiatur. Cuius tamen discriminis nullâ ratione habitâ, complures veterum, simpliciter Filium ἀγένητον & ἀγέννητον dici vetuerunt: ac primùm Epiphanius, differentiam esse aliquam inter vtrumque, conceptis verbis adnotauit, vt in quinto libro Tomi secundi diligenter obseruare memini. Qui tum igitur ἀγέννητον esse dixerunt Filium, & ἀγένητον, promiscuè sumptis vocibus, hæretici habiti sunt: donec postea, re diligentiùs perspectâ, differentia vocum in auctoritatem abiit. Lege, si quidem otium est, quæ nos accuratè de istis


vocibus expendimus in libris de Trinitate. Idem & in mysterio Incarnationis, de variis vocibus dici potest; quarum obseruatio facilis, difficilis ac morosa commemoratio, & epistolæ modulum superans. Hinc perspicuum est, plerasque voces à Catholicis vsitatas, aut contrà suspectas iisdem ac repudiatas, in vsus transîsse contrarios: ac Semipelagianos iustè à Catholicis notatos, quòd *oblatam esse omnibus gratiam* dicerent; sic nimirum illud intelligentes, vt suâpte industriâ, & naturæ viribus, sine vllo supernaturali præsidio, per se niti & assentiri possent: me in Catholico hæsisse sensu, qui tam clarè, tam constanter, gratiæ adiutorium ad consensum necessarium esse, sum testatus. Sileant igitur, & molesti obtrectatores gratis esse desinant: ne toties iisdem calumniis repetitis, eadem sit fidei repetenda professio.

Hæc de illorum conuiciis, & maledictis, habui quæ breuiter tibi rescriberem. Quas enim contumelias, & probrosa, ac mordacia de me dicta passim iniiciunt, ea contemptu magis videntur, quàm seriâ refutatione digna: cùm facilè id omnes intelligant, talibus conquestionibus hoc illos quæsîsse solum, vt vel impeditum aliis rebus ac distractum, ad sese importunè verterent; vel ægrum & corpore malè habitum implicarent magis, neque conquiescere finerent: si eum nacti essent, qui illorum importunitate moueretur. Quòd verò mihi senectutem & eius incommoda, tan-

quam diuinitus inflictam pœnam obiiciunt: faciunt illiberaliter, qui & ea dicendo maiora faciant, & communem omnibus conditionem necessariò subeundam in crimen trahant, ac contemptæ & ludibrio habitæ doctrinæ suæ supplicium id esse nominatim fingant, quod illius sectæ fautoribus, velint, nolint, ineuitabile est. Nisi fortè perpetuitatem quandam florentis æui propterea meriti adeptíque dici possint: quòd communem parentem Ecclesiam Catholicam adeo fœdè contempserint, & eius decreta nihili hodiéque pergant facere, sed spernant potiùs, & impugnent. Ego verò in ea, quam illatam mihi diuinitus obiiciunt, calamitate hærere malim, atque in illa citiùs emori, quàm partes istas, ac dogmata, aut amplecti, aut non toto pectore detestari. Quam meam professionem, tanquam vltimam ac cycneam vocem, ita obsignatam relinquere statui: vt in ea salutem omnem, ac pietatem, quâ religiosus ad hanc diem haberi studui, verti ac contineri perpetuò velim. Vale, & postremum hoc meum de noua ista doctrina iudicium, pro certa fidei regula haberi à me, testatum omnibus, quorum interest, facere memineris. Aurelianis 8. Septembris, 1652.

FINIS.





INDEX EPISTOLARVM.

LIBER I.

NVNCVPATORIÆ.

Ep. I. LVDOVICO XIII. 3
II. *Henrico Borbonio Metensi Episcopo.* 9
III. *Eidem.* 12
IV. *Antonio Borbonio Comiti Moretao.* 13
V. *Francisco Brularto.* 15
VI. *Nicolao Verduno.* 17
VII. *Ioanni Nicolaio.* 22
VIII. *Gulielmo Vairio.* 24
IX. *Francisco Card. Rupifucaldo.* 28
X. *Gabrieli Albaspinæo.* 38
XI. *Armando Card. de Richelieu.* 44
XII. *Eidem.* 49
XIII. *Eidem.* 60
XIV. *Ludouico Borbonio.* 64
XV. *Petro Seguierio.* 69
XVI. *Isacio Haberto.* 73
XVII. *Amico cuidam.* 78
XVIII. *Ludouico XIII.* 84
XIX. *Petro Iannino.* 87

XX. *Carolo Bellomanorio.* 89
XXI. *Ant. Seguierio.* 91
XXII. *Ludouico Caumartino.* 94
XXIII. Οὐρβαίῳ τῷ ὀγδόῳ. 96
XXIV. Τῷ αὐτῷ. 108
XXV. Φιλέλληνι νεανίᾳ. 112

LIBER II.

PHILOLOGICÆ.

EP. I. IACOBO *Mallebrancquio.* 117
II. *Ioanni Billio.* 123
III. *Antonio Lalouueto.* 125
IV. *Eidem.* 128
V. *Petro Poßino.* 136
VI. *Eidem.* 140
VII. *Eidem.* 144
VIII. *Ægidio Buchero.* 148
IX. *Georgio Schonbergo.* 152
X. *Stephano Vito.* 155
XI. *Arnoldo Cathio.* 159
XII. *Brunoni Cognato.* 163
XIII. *N.* 165
XIV. *Gottifredo Vendelino.* 169
XV. *Eidem* 173
XVI. *Eidem.* 189
XVII. *Eidem.* 191
XVIII. *Heriberto Rosweydo.* 201
XIX. *Eidem.* 205
XX. *Eidem.* 207
XXI. *Auberto Miræo.* 209
XXII. *Petro Crugero.* 211
XXIII. *Eidem.* 212
XXIV. *Eidem.* 222
XXV. *Iosepho Mariæ*

Suarefio. 234
xxvi. Casimiro Sarbieuio. 237
xxvii. Rolando Marefio. 239
xxviii. N. 247
xxix. N. 255
xxx. Iosepho de Voisin. 256

LIBER III.

OFFICIOSÆ.

Ep. I. VRBANO VIII. 259
II. Eidem. 261
III. Eidem. 264
IV. Francisco Card. Barberino. 269
V. Eidem. 271
VI. Eidem. 274
VII. Eidem. 275
VIII. Eidem. 276
IX. Eidem. 277
X. Eidem. 279
XI. Andreæ Schotto. 282
XII. Eidem. 283
XIII. Eidem. 285
XIV. Eidem. 286
XV. Eidem. 287
XVI. Heriberto Rosweydo. 288
XVII. Eidem. 290
XVIII. Eidem. 291
XIX. Eidem. 293
XX. Eidem. 295
XXI. Eidem. 296
XXII. Eidem. 298
XXIII. Eidem. 299
XXIV. Eidem. 300
XXV. Eidem. 301
XXVI. Eidem. 302
XXVII. Francisco Vauassori. 305
XXVIII. Eidem. 307
XXIX. Eidem. 309
XXX Eidem. 310

XXXI.

XXXI. *Eidem.* 314
XXXII. *Eidem.* 316
XXXIII. *Eidem.* 317
XXXIV. *Eidem.* 320
XXXV. *Eidem.* 323
XXXVI. *Eidem.* 324
XXXVII. *Eidem.* 326
XXXVIII. *Eidem.* 328
XXXIX. *Nicolao Borbonio.* 329
XL. *Eidem.* 331
XLI *Sichardo Gachiensi.* 332
XLII. *Francisco Brauo.* 336
XLIII. *Vincentio Marinerio.* 338
XLIV. *Eusebio Nierembergio.* 339
XLV. *Petro Castellarnauio.* 340
XLVI. *Bartholomæo Morlanezio.* 342
XLVII. *Hieronymo Aleandro.* 344
XLVIII. *Lucæ Holsteinio.* 346
XLIX. *Mutio Vitelesco.* 348
L. *Eidem.* 351
LI. *Eidem.* 352
LII. *Eidem.* 355
LIII. *Eidem.* 356
LIV. *Eidem.* 358
LV. *Francisco Piccolomineo.* 359
LVI. *Gaspari Geuartio.* 360
LVII. *Eidem.* 363
LVIII. *Eidem.* 364
LIX. *Alberto Cicitio.* 366
LX. *Stephano Menochio.* ibid.
LXI. *Terentio Alciato.* 368
LXII. *Eidem.* 370
LXIII. *Ioan. Bapt. Roßio.* 372
LXIV. *Eidem.* 374
LXV. *Athanasio Kirchero.* 375
LXVI. *N.* 376
LXVII. *N.* 379
LXVIII. *N.* 380
LXIX. *Francisco Har-*

disio. 382
LXX. N. 383
LXXI. N. 385
LXXII. Ioanni Bollando. 386
LXXIII. Eidem. 387
LXXIV. Eidem. 388
LXXV. Eidem. 389
LXXVI. Eidem. 391
LXXVII. Eidem. 392
LXXVIII. Eidem. ib.
LXXIX. Eidem. 393
LXXX. Eidem. 395
LXXXI. Eidem. 396
LXXXII. Eidem. 397
LXXXIII. Eidem. 398
LXXXIV. Eidem. 399
LXXXV. Eidem. 400
LXXXVI. Eidem. 402
LXXXVII. N. 403
LXXXVIII. Isacio Haberto. 404
LXXXIX. N. 406
XC. N. 407
XCI. N. 408
XCII. N. 409
XCIII. N. 410
XCIV. N. ibid.
XCV. N. 411
XCVI. Οὐιλλιέλμῳ τῷ Λεωνάρδῳ. 413
XCVII. Φραγκίσκῳ τῷ Λογγουέτῳ. 415
XCVIII. N. 417
XCIX. N. 419
C. Νικολάῳ τῷ Ζοεβίῳ. 421
CI. Γαβριὴλ τῷ Κοσσαρτίῳ. 423
CII. N. 425

